DE
DIONYSIO HALICARNASSENSI
PLUTARCHI QUI VULGO FERTUR
IN VITIS DECEM ORATORUM AUCTORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS CONRADUS SEELIGER

NOSSENSIS.

BUDISSAE

TYPIS E. M. MONSII

MDCCCLXXIV.

Inter auctores vitarum decem oratorum quae Plutarchi nomine feruntur Dionysium Halicarnassensem locum obtinere primarium paene inter omnes viros doctos constat.[1]) Neque tamen supervacaneum esse crediderim de quaestione quatenus Dionysius auctor Pseudoplutarchi fuerit denuo agere. Primum enim A. Schoene vir doctissimus [2]) eo quod *partes vitarum ex fontibus critico Hallicarnassensi antiquioribus haustas esse* demonstratum ivit — neque enim demonstravit —, illud de auctoritate Dionysii iudicium nondum omnibus probatum esse ostendit; deinde id mihi maxime perscrutandum erit, quibus vitarum in partibus auctoritas illa rhetoris statuenda sit; denique occasionem tali in quaestione facile oblatam de fide Pseudoplutarchi quaerendi non praetermittam.

Priusquam ad ipsam quam mihi proposui quaestionem aggrediar, de scriptis Dionysii, quae de oratoribus Atticis erant, breviter disputandum erit.[3]) Scripsit autem librum cui titulum fuisse ʽ*περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων*ʼ vel similem prooemio probatur (c. IV). Quo quas res tractaverit scriptor ipse in iudicii de Dinarcho capite 1 p. 629, 8 his verbis explicat: ʽ*περὶ Δεινάρχου τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εἰρηκὼς ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀρχαίων γραφεῖσιν διὰ τὸ μήτε εὑρετὴν ἰδίου γεγονέναι χαρακτῆρος τὸν ἄνδρα ὥσπερ τὸν Λυσίαν καὶ τὸν Ἰσοκράτην καὶ τὸν Ἰσαῖον μήτε τῶν εὑρημένων ἑτέροις τελειωτήν, ὥσπερ τὸν Δημοσθένην καὶ τὸν Αἰσχίνην καὶ τὸν Ὑπερείδην ἡμεῖς κρίνομεν.*ʼ cf. prooem. c. IV p. 451, 5—13, iud. de Isae. c. XX p. 629, 4—5.

---

[1]) Westermannus iam in editione vitarum X orr. (Lipsiae 1833) p. 10 not. 16 de ratione quae inter Dionysium et scriptorem vitarum intercedit haec iudicat: „*interdum eum non indicato adhibuit.*“ cf. Sauppe, Göttinger gel. Anz. 1863, pp. 1662 sqq..

[2]) Jahrbücher für class. Phil., 1871, pp. 761 sqq. cf. p. 787: „*Die relativ reinste und älteste Quelle der Tradition ist nicht Dionysius sondern Plutarch.*“

[3]) Fr. Blass., diss. de Dionysii H. scriptis rhet. Bonnae 1863, pp. 10 sqq. C. Th. Roessler, Dion. H. scriptorum rhet. fragm. Lipsiae 1873, p. 14.

Huius autem operis pars prior, qua de Lysia, Isocrate, Isaeo agitur, ad nostram aetatem pervenit; alterius partis quae iudicia de tribus posterioribus oratoribus continebat, particulae sunt commentationes 'περὶ λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος' et 'περὶ πραγματικῆς Δημοσθένους δεινότητος' inscriptae, quarum illa adhuc superstes est.[1])

In priore parte Dionysius disputationem suam ita instituit, ut priusquam iudicium de oratore quem tractabat ferret, vitam eius breviter adumbraret; cum vero initium libri 'περὶ λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος' deperditum sit, vitam Demosthenis in eo exhibitam fuisse Blassius p. 12 inde concludit, quod etiam iudiciis de Demosthene, Aeschine, Hyperide latis brevem vitarum eorum descriptionem praemissam fuisse veri simile est.

Iam et ex verbis Dionysii ipsius et ex fragmentis quibusdam *praeter eos quos dixi libros criticum commentationes peculiares de Demosthene, Isocrate, Lysia, fortasse etiam de Isaeo, Andocide composuisse* Blassius pp. 13 sqq. et Roesslerus pp. 17 sqq. concluserunt; at quod ex omnibus fragmentis et verbis Dionysii ipsis apparet, non videntur ei nisi indices fuisse orationum oratoribus ascriptarum adiuncto iudicio utrum iure an injuria ascriptae essent, qualis index in extrema iudicii de Dinarcho parte etiamnunc extat, ita ut novum orationum Atticarum πίνακα a Dionysio confectum esse statuas. Quo in opere vitas oratorum tractatas fuisse vix crediderim, certe argumentis demonstrari non potest; at de aetate cuiusque oratoris in exordio criticum disputasse, ut tali fundamento non aliter quam in iudicio de Dinarcho disceptatio de orationibus oratori tribuendis niteretur, ex re ipsa videtur effici.

Certe opinor eas tantum vitas, quae libro 'περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων' contentae essent, praeter Dinarcheam peculiari de Dinarcho libro insertam a Pseudoplutarcho adhibitas esse. Quibus in vitis Dionysius non omnia, quae de oratoribus tradita accepit, conscripsit sed plerumque ea tantum, quae minus cognita erant quaeque ex oratorum ipsorum operibus percipi non poterant,

---

[1]) Mitto quaestionem num illae commentationes duas operis partes peculiares expleverint, iudicia autem de Aeschine et Hyperide quarto tractatu contenta fuerint. Blass. pp. 11 sq.

tetigit; cum vero id maxime ageret, ut indolem artemque oratorum et illustraret et iudicaret, de praeceptoribus disciplinaque qua usi sunt accuratius disputavit. At diversis in vitis diversam narrandi debuisse rationem esse planum est; itaque singula singulis in vitis tractabo.

Id unum restat ut moneam mihi propositum esse de priore tantum singularum vitarum parte, qua res uno tenore tractantur, agere; quae inde ab eo loco qui de numero orationum cuique oratori ascriptarum est restant, de eis disputationem nunc missam facio.

I.

Vita Dinarchi.

(Dion. Hal. iud. de Din. c. I—IV, pp. 629, 8 sqq. Westermann, *Βιόγραφοι*, pp. 321 sq.)

Cum omnino de vitis oratorum Atticorum parum constaret, de Dinarcho nil fere traditum erat; neque id mirum est; quamquam enim multae orationes ei ascriptae extabant, eae ipsae ad vitam oratoris cognoscendam magna ex parte nil memorabile conferebant; neque tam celebri inter ceteros oratores fama eminebat, ut grammaticis praecipuae esset curae, qui quidem ad nomen oratoris singulari indole in arte sua colenda parum instructi tantummodo confugiebant, ut orationes quarum auctores eis ignoti erant patre donarent.[1]) Conqueritur igitur Dionysius in capite primo neque Callimachum neque Pergamenos grammaticos neque Demetrium Magnesium de vita Dinarchi satis quaesivisse; itaque quae ipse exhibet magis ex historicis conclusit quam collegit. cf. c. II, p. 633, 3. ‘*ἃ οὖν ἐγὼ αὐτὸς δι᾽ ἐμαυτοῦ κατελαβόμην ταῦτ᾽ ἐστίν.*’ Non est cur Dionysio talia dicenti fidem non habeamus [2]); obstat enim ante omnia auctoritas critici ipsius, qui libenter ea quae ex aliis fontibus hausit suo quaeque auctori tribuit; ita cum de Demosthenis aetate in epistula ad Ammaeum I agat, c. III pp. 723 sq. aperte profitetur: ‘*ἀνάγκη δ᾽ ἴσως πρῶτον ὅσα παρέλαβον ἐκ τῶν κοινῶν ἱστοριῶν ἃς κατέλιπον ἡμῖν οἱ τοὺς βίους τῶν ἀνδρῶν συνταξάμενοι προειπεῖν.*’ Idem cum

---

[1]) A. Schaefer, Demosthenes und seine Zeit. III, 2. pp. 278 sq.

[2]) Contrariam sententiam nullo addito argumento A. Schoene p. 786 tulit.

vitam Isocratis exposuerit, p. 537, 8, se ex aliorum scriptis hausisse indicat his verbis 'τὰ ἱστορούμενα περὶ αὐτοῦ κεφαλαιωδῶς ταῦτ᾽ ἐστίν.'

Sane quae de praeceptoribus oratoris exhibet ea sine dubeo a scriptoribus antiquioribus tradita sunt; quae de genere eius et fuga et sorte posteriore narrantur ea auctoritate codicilli, qui orationi adversus Proxenum adiunctus extabat, et huius ipsius orationis exordii niti Dionysius certis indicat verbis p. 635, 4. 15; summum autem ipsius de cognoscenda Dinarchi vita meritum in eo positum est, quod primus aetatem eius certis terminis descripsit certisque temporum spatiis dispertivit. Philochorum enim de fuga eorum, qui Athenis a Demetrio liberatis expulsi essent, eorumque reditu rettulisse ex fragmentis libri Dionysiani capite IV servatis cognoscimus, Dionysius vero suo Marte inter illos exules Dinarchum fuisse statuit; hinc tempora eius constituit; de quibus ante illum criticum nil fere constitisse ex orationibus Dinarcho falso ascriptis concludere licet.

Haec autem summa ratiocinationum critici est:

p. 633, 16. 636, 10.	Dinarchus Athenis expulsus est Anaxicrate archonte	Ol. 118, 2.
p. 634, 9. 637, 2.	Revocatus est Athenas Philippo archonte	Ol. 122, 1.
p. 634, 9.	inter fugam et reditum intersunt anni quindecim.	
p. 638, 4.	ponit, oratorem Athenas rediisse septuaginta fere annos natum; itaque natum eum esse statuendum est circa annum Nicophemi archontis	Ol. 104, 4.
p. 638, 14.	ponit, eum incepisse orationes scribere fere viginti quinque annos natum id est circa annum Pythodemi arch.	Ol. 111, 1.

Haec quidem tempora Dionysium sua ratiocinatione descripsisse planum est; itaque *si quem post eum scriptorem in temporibus Dinarchi eisdem calculis uti videmus, necesse est fontem eius esse librum Dionysii*, sive ipse sua ex eo hausit sive ex scriptis, in quibus rationes ab illo positae redditae sunt.

Iam Pseudoplutarchus v. 17 Dinarchum Anaxicrate archonte exulem factum esse, v. 20 per quindecim annos in exilio versatum Athenas rediisse narrat nullo addito fonte unde istos annorum sumpserit. Ex eis vero quae supra exposuimus in eis constituendis illum secutum esse Dionysium plane elucet. Quin etiam admodum accurate scriptor hunc exscripsisse videtur; cum enim aliter in tempore indicando non solum nomen archontis sed etiam annum olympiadis afferre soleat, cf. vit. Andoc. v. 45, vit. Lys. v. 7, v. 17, vit. Isocr. v. 6, in vita Dinarchi v. 18 nomen tantum archontis ut annum significet adhibet, cf. vit. Dem. v. 82, quo de loco Westermannus [1]) simile iudicium fert.

Unus autem in vita restat locus, qui scrupulum nobis inicere possit. Cum enim Dionysius, c. IV p. 638, 14, oratorem circa annum Ol. 111, 1 orationes scribere incepisse statuat, Pseudoplutarchus v. 2 exponit: ἀφικόμενος εἰς Ἀθήνας ἔτι νέος, καθ᾽ ὃν χρόνον Ἀλέξανδρος ἐπῄει τὴν Ἀσίαν, κατοικήσας etc., ita ut oratorem demum circa Ol 111, 3 vel 4 Athenas venisse existimare videatur. Itaque hic locus videtur esse eiusmodi, in quo Pseudoplutarchus alium fontem, non librum Dionysii, adhibuerit. Atque Adlerus [2]) *cum Pseudoplutarcho se facere* professus *Dinarchum anno Ol. 111, 2 Athenas venisse, anno autem 111, 3 sive 4 orationes scribere incepisse* statuit, qualis ratio vix potest probari, cum adventum oratoris ne eo quidem anno, quem Pseudoplutarchus si eum cum Adlero interpretaremur, poneret, factum esse vir doctus probaverit neque illum per unum tantummodo annum Athenis versatum iam artem suam publicum in usum adhibuisse sit veri simile. Poterat certe scriptor praeter Dionysium etiam alios auctores adhibere, unde non sequitur, eum in ceteris illum non esse secutum. At primum omnes concedunt, etiam ea, in quibus scriptor a Dionysio in temporibus constituendis recedat, sola niti coniectura; certus enim annus, ut Dionysius aperte profitetur, traditus non erat. Spero autem, me demonstraturum esse, ne in eo quidem, quod de adventu oratoris indicavit tempore nos alium Pseudoplutarchi fontem quam librum Dionysii invenire. Cum enim prorsus ignotum esset, quomodo et quando

[1]) in vita Demosth., quae praemissa est editioni Dem. Tauchnitz 1854 I. p. VI.

[2]) in diss. de Dinarchi vita et dictione. Berol. 1841. pp. 15 sq.

Dinarchus Athenas venisset, ita ut nonnulli oratorem Atheniensem haberent, quis grammaticus vel rhetor certum annum quo illum Athenas migrasse existimaret, indicare poterat? Itaque verba ʽἀφικόμενος εἰς Ἀθήνας ἔτι νέος ὤνʼ vera sunt neque a ratione a Dionysio posita recedunt; nam cum oratorem Athenis disciplina et institutione oratoria usum esse ex huius verbis efficiatur, compluribus annis ante annum aetatis vicesimum quintum eum iam in urbe fuisse necesse est. Verba autem ʽκαθʼ ὃν χρόνον Ἀλέξανδρος ἐπῄει [1]) τὴν Ἀσίανʼ potius ad ea quae secuntur pertinent et opposita sunt verbis ʽμάλιστα δὲ προσῄει [2]) — μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου [3]) τελευτήνʼ; itaque scriptor hoc vult dicere: „*quamdiu Alexander Asiae bellum inferebat, magis praeceptoribus operam dabat, quam artem in usum publicum adhibebat, post mortem vero Alexandri ad rempublicam accessit.*“ Ita idem scriptor in vit. Hyperid. v. 5 scribit ʽἐπολιτεύσατο Ἀθήνησι καθʼ ὃν χρόνον Ἀλέξανδρος τῶν Ἑλληνικῶν ἥπτετο πραγμάτωνʼ longius temporis spatium indicans. Neque iam dubitamus quin Pseudoplutarchus temporis illam notam ʽκαθʼ ὃν χρόνον — Ἀσίανʼ ex suo iudicio addiderit coniectam ex verbis Dionysii p. 633, 10 ʽμάλιστα δὲ ἤκμασε μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τελευτήν.ʼ

Ex eis igitur quae exposui apparet scriptorem in temporibus constituendis solius Dionysii auctoritatem secutum esse. Accedunt vero argumenta, quibus commentationem critici a compilatore exscriptam esse probatur.

Nam cum ceterae scriptoris vitae plerumque ex compluribus partibus male coniunctis constent, vita Dinarchi integra videtur, in qua singulae res fere bono ordine exponuntur. Nonnulli [4]) inde concludunt *vitam Dinarchi* ʽ*paene unam esse addita-*

---

1) ἐπῄει X, ἐπὶ cett. Wyttenbachium et Reiskium ex Phot., cod. 267 p. 496, B. 12 ed. Bkk., διέβη vel διέβαινε falso restituisse ex mea verborum interpretatione apparet.

2) προσῄει ex coniect. Wyttembachii; verbnm in libris deest.

3) ʼΑντιπάτρουʼ libri ot Photius p. 498 B. 13 ʼΑλεξάνδρου scribendum esse cum Westermanno ex verbis quae secuntur ʽτῶν μὲν ἀνῃρημένων — πεφευγότων apparet; etiam magis probabilis fit coniectura, si interpretationem meam amplectimur.

4) Westermann, quaestt. Demosth. IV, 61. Burckhardt, Caecilii rhet. fragm. p. 50 ratione nulli probata et vix cuiquam probanda *a v. 26 verbis* ʽφέρονται δʼ αὐτοῦʼ *etc., alteram partem posterioris aetatis exordiri* censet.

mentis posteriorum non amplificatam; ego potius unam esse in qua scriptor unum tantummodo auctorem sequatur; hunc autem unum Dionysium esse ex eo conicio, quod uterque paene eundem rerum ordinem observat. Uterque enim primum de genere oratoris refert (Dion. p. 633, 4—5, Pspl. 1), eum Athenas migrasse (Din. p. 633, 5. Pspl. 2), Theophrasto et Demetrio usum esse praeceptoribus (Dion. 633, 7. Pspl. 4—6), maxime floruisse post mortem Alexandri oratoribus praeclaris extinctis (Dion. p. 633, 10—13. Pspl. 6—8), expulsum esse post exitum Cassandri (Dion. p. 633, 15—634, 8. Pspl. 15—19), Chalcidem fugisse (Dion. p. 634, 8. Pspl. 19), post quindecim annos Theophrasto adiuvante rediisse (Dion. 634, 9—14. Pspl. 19—22), fraudatum a Proxeno contra cum primam actionem intendisse aetate provectiorem (Dion. 634, 14—635, 2. Pspl. 22—26).

Itaque in vitis utriusque scriptoris eadem eodem rerum ordine narrantur; quin etiam utrumque verbis uti similibus haec docent exempla:

D. 633, 5.	ἀφικόμενος εἰς Ἀθήνας	P. 2.	ἀφικόμενος εἰς Ἀθήνας.
„ 633, 7.	Θεοφράστῳ τε συνεγένετο καὶ Δημητρίῳ τῷ Φαληρεῖ	„ 4.	ἀκροατὴς μὲν ἐγένετο Θεοφράστου ὡμίλησε δὲ καὶ Δημητρίῳ τ. Φ.
„ 633, 10.	μάλιστα δὲ περιπεσόντων.	„ 6.	μάλιστα δέ — πεφευγότων.
„ 634, 7.	ἐξελθών — διέτριψεν.	„ 19.	ἔφυγεν — ἔτη.
„ 634, 15.	παρ' ἑνί — παρελθών.	„ 22.	καταλύσας — δικαστηρίῳ.

Cum igitur verba utriusque inter se tantopere congruant et omnino tanta vitarum similitudo appareat, aut utrumque ex communi fonte hausisse aut alterum alterius auctorem esse statuendum est; cum vero Dionysins vitam Dinarchi primus descripserit, id quod secundo loco posuimus, solum probandum est.

At sunt nonnulla loca, in quibus Pseudoplutarchus a Dionysio recedit; at ex eis illum vitam huius exscripsisse magis efficitur, quam alium fontem adhibuisse.

Dionysius litem Harpalicam in vita non narrat, non solum quia omnibus cognita erat sed quia Dinarchus in ea tantum-

modo aliis orationes scripsit, ipse in iudicium non venit; rem tamen indicat p. 633, 8 his verbis: 'εὐφυὴς δὲ περὶ τοὺς πολιτικοὺς λόγους γενόμενος ἀκμαζόντων ἔτι τῶν περὶ Δημοσθένην ἤρξατο λόγους γράφειν καὶ προήει κατὰ μικρὸν εἰς δόξαν.' Nimirum Pseudoplutarchus eam actionem, in qua orator maiorem ad famam escendit, praetermittere noluit; at additamento quod ad eam pertinet rerum ordinem disturbavit; refertur enim v. 10—15 lis Harpalica inter eas res, quae post mortem Alexandri sunt factae; contra Dionysii illa verba, quibus partium ab oratore ante mortem regis actarum mentio fit prorsus neglexit; haec autem neglegentia apertissima fit ex verbis quae secuntur v. 6 'μάλιστα δὲ προσήει τῷ πολιτεύεσθαι', quae verba intellegi non possunt, nisi antea expositum est, Dinarchum etiam ante mortem Alexandri artem suam in usum publicum adhibuisse. Quo quod argumentum sententiam meam magis potest confirmare?

In verbis quae causam cur Dinarchus Athenis fugerit indicant Pseudoplutarchus a Dionysio paulum recedit ex suaque rerum gestarum scientia nonnulla addit, neque tamen feliciter propriam ingreditur viam; verba enim Dionysii p. 634. 1 'κατέλυσαν τὴν—φρουράν' v. 17 verbis 'Μουνυχίας ἡνίκα—ἐφρουρήθη' mutavit, quasi Demetrius non liberatoris sed hostis nomine ab Atheniensibus esset donatus. cf. fragm. Philoch. ap. Dion. p. 636, 10—14. Plut. Demetr. 10.

Iam pauca restant, quibus scriptor vitam ex libro Dionysiano haustam adauxit.

Cum enim Dionysius codicilli illius, quem dixi, auctoritate nisus Dinarchum filium Sostrati et Corinthi natum esse rettulerit, Pseudoplutarchus et haec ex fonte suo accipit et alios affert contendentes, Dinarchum filium Socratis et Atheniensem esse. Nimirum nomen Socratis magis tritum pro Sostrati errore scriptoris cuiusdam facile poterat proferri; quod Atheniensis ferebatur, haud scio an ex eo explicandum sit, quod unus est ex oratoribus Atticis Nec tamen ex eo, quod noster de patre et patria oratoris diversos consuluit auctores, eum etiam in ceteris complures fontes adhibuisse conicere licet; haec enim duo nomina in omnibus scriptis quae vel opera vel indolem oratoris neque tamen vitam eius tractabant extitisse crediderim. Ceterum in eis quae secuntur scriptor veram oratoris originem prorsus amplectitur. cf. v. 2 ἀφικόμενος

εἰς Ἀθήνας. v. 11 οὐκ εἰς δῆμον παριών (οὐ γάρ οἷός τ' ἦν) cf. Dionys. p. 634, 4 αἰτίαν ἔχων — καίτοι ξένος αὐτὸς ὤν — καταλῦσαι τὸν δῆμον. Contra haud scio an nimis temere scriptor v. 18 narret: 'ἐξαργυρισάμενος τὰ πλεῖστα τῆς οὐσίας'; neque enim cum Dinarchus ξένος fuerit veri simile est eum fundos possedisse.

v. 4 Theophrastus accuratius describitur 'διαδεξάμενος τὴν Ἀριστοτέλους διατριβήν'; quod cum satis cognitum esset nostrum ex sua memoria addidisse statuas. Nec minus is facile poterat ex verbis Dionysii p. 633, 15 'ἕως Κάσσανδρος τὴν πόλιν κατέσχεν', quibus oratorem in tutela Cassandri fuisse indicatur, atque ex causa fugae concludere Dinarchum Cassandro amicum esse factum, v. 8 'φίλος Κασσάνδρῳ γενόμενος'; item ex verbis Dionysii 634, 5 'καὶ μάλιστα τῷ πλουτεῖν ἑαυτὸν ὑφορώμενος μὴ διὰ τοῦτο πάθῃ τι δεινόν' oratorem arte sua magnas sibi parasse divitias coniecit v. 8 'ὡς ἐπὶ πλεῖστον προέκοψε χρήματα τῶν λόγων εἰςπραττόμενος.' Num vero fides ei habenda sit referenti, oratorem in exilio divitem esse factum (v. 20 'καὶ πολλὴν οὐσίαν κτησάμενος, id quod ex verbis codicilli p. 635, 10 'χρυσίου μὲν στατῆρας σπέ' οὓς ἐκόμισα ἐκ Χαλκίδος' conclusum esse suspicor), quicunque cum Dionysio, p. 639, 5, Dinarchum per tempus exilii ab orationibus scribendis abstinuisse statuit, dubitare debet.

At id potissimum ex exemplis quae attuli licet perspicere, quomodo scriptor ea, quae ab auctore suo tradita acceperit adaugere studeat additamentis coniecturis potius quam certis ex fontibus collatis; neque enim eorum numero ascribendus est, qui verba auctoris sui verbotenus transscribant; immo potius ornare, augere ea, sua alienis immiscere studet; quam ob rem ne ubicunque ille a verbis auctoris paulum recedat alium statim fontem ei praesto fuisse coniciamus cavendum est. Quod si tenemus, vitae Pseudoplutarchi Dinarcheae unum auctorem esse Dionysium non dubitaverimus statuere.

II.

Vita Isaei.

(Dion. Hal. iud. de Isaeo, cc. I sq., pp. 586, 1 sqq. Westermann, *Βιόγραφοι*, pp. 260 sqq.)

De vita Isaei fere nil inter veteres scriptores notum fuisse et ex verbis Dionysii, iud. de Isaeo c. I, p. 587, 1, perspicitur et facile eo explicatur, quod opera oratoris ipsius nullam materiam suppeditabant.[1]) Id unum enim certo sciebant, illum praeceptorem fuisse Demosthenis. Quod quidem Dionysius in initio commentationis suae p. 586, 1 praemittit, deinde duplicem refert de patria oratoris memoriam, cum alii eum Atheniensem alii Chalcidensem tulerint[2]) Tum ex temporibus orationum aetatem oratoris constituit, cum ceteris in iudiciis ex aetate oratorum, quae orationes eis vere sint ascriptae diiudicare soleat. Denique p. 588, 2—6 Hermippum laudat de Isaeo tradentem ‘*ὅτι διήκουσε μὲν Ἰσοκράτους, καθηγήσατο δὲ Δημοσθένους, συνεγένετο δὲ τοῖς ἀρίστοις τῶν φιλοσόφων.*’

Unde apparet, usque ad Dionysii aetatem vitam Isaei non extitisse; neque Dionysius talem descripsit sed quae antiquibus tratida accepit, quae ipse excogitavit, quae ex

---

1) *ὑπόθεσις* orationis quartae tradit, Isaeum hanc ipsum mnnere *συνηγόρου* fungentem habuisse, id quod nullo probari potest argumento. Ceterum fallitur grammaticus Isaeum cognatum clientium dicens; orator enim ipse clientes suos amicos dicit cf. § 1 *ἐπιτήδειοί μοι τυγχάνουσιν — καὶ ὁ πατὴρ αὐτῶν ἔτι πρότερον*, quod quidem non erat opus addere, si illi ei cognati erant.

2) Harpocration s. v. *Ἰσαῖος*: ‘*μαθητὴς δ᾽ ἦν Ἰσοκράτους ὥς φησιν Ἕρμιππος ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν Δημήτριος δ᾽ ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν Χαλκιδέα φησὶν εἶναι.* Ubi non est cur cum Liebmanno, de Isaei vita p. 2, post *Ἰσοκράτους* intermittamus *Ἀθηναῖος τὸ γένος*. Id si Hermippus rettulisset, Dionysius infra p. 588, 5 ei tribuisset. Neque illa quae grammaticus a duobus auctoribus acceperit relata inter se repugnare necesse est statuamus.

Ceterum Schoemanno, in edit. Isae. p. V, utrumque quod de patria oratoris traditum est coniungenti, *ut civis fuerit Atticus sed Chalcide natus,* non assentior. Atheniensis item ut Dinarchus a nonnullis ferebatur, quod inter oratores Atticos locum obtinebat; ex eo quod nunquam videtur ad rem publicam accessisse coniecerim eum non fuisse civem Atticum. Ceterum contrarium fortasse statuas ex verbis Pseudoplutarchi v. 12 sq. ‘*πρῶτος δέ — ἤρξατο — τρέπειν ἐπὶ τὸ πολιτικὸν τὴν διάνοιαν*’; ibi tamen ‘*πολιτικόν*’ mutandum proposuerim in ‘*παθητικόν*’, nisi scriptorem hoc ‘*παθητικόν*’ fontis sui in illud *πολιτικόν* falso mutasse statuimus.

libro Hermippi hausit, sine ullo rerum tenore literis mandavit Quamobrem vita eius, quam vix licet vitam dicere, ex alio fonte fluxisse credi non potest; itaque si qui scriptor aetatis posterioris in vita Isaei enarranda verbis Dionysii similibus utitur, hunc auctorem illius esse necesse est statuamus.

Cum nemo ante Dionysium de aetate Isaei quaesivisset, is primus eam finibus quibusdam descriptum ivit. p. 586, 4 'ἤκμασε δὲ μετὰ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον, ὡς ἐκ λόγων αὐτοῦ τεκμαίρομαι καὶ μέχρι τῆς Φιλίππου δυναστείας παρεξέτεινε.' Hinc scriptor anonymus, qui γένος Ἰσαίου composuit, Westerm. Βιόγραφοι p. 261, vss. 3—5, eosdem aetatis Isaei terminos indicat [1]) addens: 'ὥς φησι Διονύσιος ὁ Ἁλικ. ὁ κριτικός.' Eandem autem aetatis descriptionem Pseudoplutarchus v. 6 exhibet: 'ἤκμασε......, ὥς ἔστι τεκμήρασθαι ἐκ λόγων αὐτοῦ, ..., παρέτεινεν.'

Iam quaero utrum Dionysio se tempora a se descripta ex orationibus oratoris ipsum conclusisse profitenti fides habenda sit, an opinemur et illum et Pseudoplutarchum ea ex communi fonte antiquiore percepisse. Certe prius multo veri similius videtur et statui necesse est, quamdiu ad fidem Dionysii infringendam nulla afferuntur argumenta. Atque Pseudoplutarchus quamquam nomen auctoris sui silentio praetermittit eiusque inventa sibi ipsi ascribere videtur — ille sive Dionysius sive alius est, fraus scriptoris eadem est — certe verba auctoris 'ὡς τεκμαίρομαι' in 'ὡς ἔστι τεκμήρασθαι' modeste mutavit. Itaque nisi Dionysio maiorem fraudem quam Pseudoplutarcho tribuas, Dionysium aetatem Isaei ex suo iudicio descripsisse eiusque inventa Pseudoplutarchum suscepisse statuendum est.

Dionysium in iudiciis quae de oratoribus tulerit sua tantum reddere inter omnes, qui ea cognoverunt, constat. Collata vero eloquentia Isaei cum Lysiae hanc exhibet sententiam p. 588, 10 'χαρακτῆρα δὲ τον Λυσίου κατὰ τὸ πλεῖστον ἐζήλωσε· καὶ εἰ μή τις ἔμπειρος πάνυ τῶν ἀνδρῶν εἴη..... οὐκ ἂν διαγνοίη ῥᾳδίως πολλοὺς τῶν λόγων, ὁποτέρου τῶν

[1]) Libri tradunt 'κατὰ τὸν Π. πόλεμον', quam scripturam Xylander non debuit in vitam Pseudoplutarchi transferre. Immo et ex verbis Dionysii et ex orationum Isaei temporibus eum post bellum Peloponnesiacum floruisse efficitur.

ῥητόρων εἰσίν.' Quo cum iudicio verba Pseudoplutarchi propono conferenda, quae v. 2 — v. 6 extant: 'σχολάσας Λυσίᾳ κατά τε τὴν τῶν ὀνομάτων ..... ῥητόρων εἰσίν.' Quibus in verbis primum nos offendit, quod Lysias praeceptor Isaei dicitur. Nam quamquam Cicero, Brut. 48, Aristotele auctore Lysiam artem dicendi professum esse tradit, tamen a nullo auctore vetere Isaeus perhibebatur Lysiae fuisse discipulus; huic autem Pseudoplutarchi loco ne fidem habeamus gravia obstant argumenta. Verbis enim 'σχολάσας Λυσίᾳ κατὰ τὴν τῶν ὀνομάτων ἁρμονίαν' etc sana sententia reddi non potest, cum verba 'κατὰ τὴν... ἁρμονίαν, κατὰ τὴν... δεινότητα' potius eius sint, qui duos homines inter se comparat, quam qui rationem, quae discipulo cum praeceptore intercedit, indicat. Praesto autem nobis est Photius, quem in codicibus huc pertinentibus vitas decem oratorum paene verbotenus transscripsisse constat [1]) Qui quidem p. 490 A. 13 haec tradit: 'Λυσίου δὲ γέγονε μιμητής, οὐ καὶ μαθητὴς ἐχρημάτισε. τὴν μίμησιν δὲ αὐτῷ προσάπτει τῶν τε ὀνομάτων ἡ ἁρμονία καὶ ἡ ἐν τοῖς πράγμασι δεινότης.' v. 26 'ἐσχόλασεν (ὡς προείρηται) Λυσίᾳ.' Unde concludam, Photium legisse 'σχολάσας ζηλωτὴς γέγονε Λυσίου κατά' etc. At etiam Photii aetate locum ex parte corruptnm fuisse apparet; nomen enim praeceptoris exciderat. Cum vero Isocrates, quem Hermippus praeceptorem Isaei fuisse rettulit, in vita nullo verbo commemoretur, etiamsi Pseudoplutarchum scripta Dionysii adhibuisse negaremus, illius nomen post 'σχολάσας' excidisse staduendum nobis est. Neque quin ita iudicemus obstat alius locus in vita Isocratis, v. 69, ubi Isaeo incertus tantum locus inter discipulos Isocratis conceditur. Idem enim scriptor Hyperidem in vit. Hyp. v. 5 inter Isacrateos refert, cum illo vitae Isocr. loco etiam eius nomini idem 'ὥς φασιν' addat.

Itaque legendum est: 'σχολάσας Ἰσοκράτει ζηλωτὴς γέγονε Λυσίου.' [2]) cf. vit. Din. 27 'ζηλωτὴς δ' ἐγένετο Ὑπερείδου.' anon vit. Isocr. ap. Westerm. p. 257 v. 119 'ζηλωτὴς ἐγένετο Γοργίου κατὰ τὸ ὁμοιοκαταληκτῶδες καὶ πα-

[1]) Luculenter id demonstravit A. Schaefer, Ztschr. für Alterthw., 1848, Nr. 31—34. Negavit A. Schoene, l. l., cuius de argumentis in capite proximo agam.

[2]) Similes coniecturas Reiskius, Duebnerus, A. Schaeferus (l. l. p. 258) proposuerunt.

ῥιςώδες.' Philostrat. β. σοφ. I, 17, 1 'Δημοσθένης μαθητὴς μὲν Ἰσαίου, ζηλωτὴς δὲ Ἰσοκράτους γενόμενος.' Omnes igitur credo mihi concessuros esse, Isocratem praeceptorem fuisse Isaei a Pseudoplutarcho referri; eum autem id percepisse ex fragmento Hermippi a Dionysio servato (p. 588, 5 proponit 'διήκουσεν Ἰσοκράτους'), non est, cur negemus.

Nam id quidem certissimum est, verba quae secuntur 'ζηλωτὴς γέγονε Λυσίου, ὥστ' εἰ μή τις' etc. fere verbotenus transscripta esse ex loco quem attuli Dionysiano p. 588, 10 Item verba 'κατά τε τὴν τῶν ὀνομάτων ἁρμονίαν καὶ τὴν ἐν τοῖς πράγμασι δεινότητα' eadem nituntur distinctione, quam Dionysius p. 589, 5 proponit 'καὶ κατὰ τὴν ἑρμηνίαν καὶ κατὰ τὰ πράγματα'; quamquam vix licet inde concludere, in verbis Pseudoplutarchi 'ἑρμηνείαν' pro 'ἁρμονίαν' legendum esse.

Adhuc igitur constat, quae scriptor de aetate et de institutione Isaei oratoria rettulerit ea ex libro Dionysiano hausta esse; iam pauca restant in priore de qua sola agimus parte vitae.

Primum quod ad patriam oratoris attinet scriptor eum Chalcide natum Athenas migrasse narrat. Nullo igitur verbo alteram memoriam a Dionysio servatam, qua Isaeus Atheniensis ferebatur, tangit sive neglegentia eam praetermittit sive in ceteris scriptis, quae de genere et patria oratoris consulere poterat vulgarem tantum repperit famam, qua ille Chalcide natus esse perhibebatur.

In vss 8—11 Demosthenes disciplina Isaei usus esse narratur. Sin vero verba Dionysii p. 586, 1 'Ἰσαῖος ὁ Δημοσθένους καθηγησάμενος καὶ διὰ τοῦτο μάλιςτα γενόμενος περιφανής' cum Pseudoplutarchi 'καθηγήσατο Δημοσθένους διὸ καὶ μάλιστα ἐπιφανὴς ἐγένετο' contulerimus, cum in ceteris illum huius auctorem esse perspexerimus ex similitudine horum verborum optimo iure idem concludemus. At restant nonnulla, quae Dionysius non exhibet; neque ea ex vita ulla alia Isaei sed ex aliqua Demosthenea petita esse censeo; ita autem sunt comparata, ut ulla fide vix sint digna. Dico verba 'ἀποστὰς τῆς σχολῆς ἐπὶ δραχμαῖς μυρίαις.'

Isaeus praeceptor Demosthenis ferebatur; inde vero eum scholae rhetoricae praefuisse conicias. At non minus certum

est, de tali schola a veteribus nil esse traditum; neque enim Dionysius qui de Isaeo omnia videtur collegisse eius mentionem facit neque Hermippus eam commemoravit, si quidem ea quae hunc de Isaeo tradidisse Dioysius, p 588, 4, testatur integra sunt. Plutarchus vero, quod in libro de glor. Athen. c. VIII, p. 350 C. Isaeum inter praeceptores eloquentiae collocat, certe nil aliud habuit cognitum quam eum Demosthenem artem suam docuisse. Hinc igitur efficitur, scholam illam Isaei quae a scriptore dicatur potius coniecturae posteriorum quam memoriae veterum originem debere. Pseudoplutarchus autem verbis ‘*ἀποστὰς τῆς σχολῆς*’ videtur idem reddere, quod in vit. Dem. v. 15 expressum est ‘(*Δημοσθ.*) ’*Ἰσαῖον ἀναλαβὼν εἰς τὴν οἰκίαν τετραετῆ χρόνον*’ etc. Mercedem vero quae praeceptori soluta esse dicitur, quamquam si Isaeum per complures annos solum Demosthenem ad dicendum instituisse ponimus fines aequi non excedit, num Demosthenes solvere potuerit dubitarim; sin vero sunt qui statuant, *tantam mercedem a Demosthene si ex actionibus tutoribus intentis superior discessisset Isaeo promissam esse,* fortasse rem bene sibi fingunt; neque tamen videntur mihi considerasse, quo modo memoria talis pactionis si quidem inter eos facta esset ad posteros pervenire potuerit. Denique obstant ea quae ab aliis relata maiore fide videntur digna. Plutarchus enim in vit. Demosth. c. V haec tradit: ‘*ἐχρήσατο δ’ Ἰσαίῳ πρὸς τὸν λόγον ὑφηγητῇ καίπερ Ἰσοκράτους τότε σχολάζοντος εἴτε ὥς τινες λέγουσι τὸν ὡρισμένον μισθὸν Ἰσοκράτει τελέσαι μὴ δυνάμενος τὰς δέκα μνᾶς διὰ τὴν ὀρφανίαν*’ etc. Quod quidem Pseudoplutarchus ipse testatur, in vit. Isocr. 49–56, ubi fabulam narrat, quae quamvis inepta sit in eo quod ad quaestionem nostram pertinet veri similiora tradit simulque nos docet, quam inconsiderate scriptor repugnantia in opus suum receperit. Denique quod Suidas de Isaeo narrat ‘*οὗτος ἐπαινεῖται καὶ ὡς ῥήτωρ καὶ ὡς Δημοσθένην ἀμισθὶ προαγαγών*’, ne is quidem maiore fide dignus est, id unum tamen ostendit, omnia quae de mercede Isaeo a Demosthene soluta relata sint sola niti coniectura. Paucis ut dicam Isaeus praeceptor Demosthenis antiquitus ferebatur; omnia autem quae ad hanc consuetudinem illustrandam tradita sint ficta vanaeque tribuenda famae esse arbitror. Neque opinio qua orationes a Demosthene adversus tutores habitae Isaeo ascribebantur,

aetate Dionysii videtur extitisse; iterum occurrit in Libanii vita Demosthenea p. 3 et in eius argumento orationis XXXI.

Iam ut summam disputationis de vita Isaei institutae exponam, vita Isaei apud veteres non extitit, quo magis si duo scriptores fere idem de Isaeo rettulerint alterum alterius auctorem esse veri simile fit. Qua vero ratione Pseudoplutarchus in plerisque Dionysium secutus sit spero me exposuisse; sola enim ea quae de institutione Demosthenis a scriptore copiosius tradita nullam prae se ferunt veri speciem, auctori illi primario non debentur.

III.

Vita Lysiae.

(Dion. Hal. iud. de Lys. c. I. p. 452, 1—453, 11. Westermann, *Βιόγραφοι*, pp. 241 sqq.)

Priusquam ad disputationem mihi instituendam aggrediar, ab initio praestat eam, quam A. Schoene[1]) de scriptoribus vitarum Lysiacarum tulit sententiam iudicare. Invenisse enim se vir doctissimus sibi persuasit argumentationibus suis, *hanc inter Dionysium Pseudoplutarchum Photium intercedere rationem, ut cum duo vitae Lysiacae fontes inter se cognati extarent alter, qui quidem et antiquior et melioris fidei esset, a Pseudoplutarcho, alter et a Dionysio et a Photio adhibitus esset.*[2]) Tota autem viri doctissimi ratiocinatio ex uno pendet argumento. Cum enim Dionysius de Lysia Thuriis habitante p. 453, 3 hoc dicat: ʽκαὶ διετέλεσεν αὐτόθι πολιτευόμενος ἐν εὐπορίᾳ πολλῇʼ, Pseudoplutarchus v. 15 eandem rem ita exprimat: ʽκτησάμενος τ᾽ οἰκίαν καὶ κλήρου λαχὼν ἐπολιτεύσατοʼ, Photius p. 489, B. 27 copiosius referat: ʽοἰκίαν δὲ κατασκευασάμενος καὶ κλήρου τυχὼν ἐπολιτεύετο τῶν πολλῶν οὐκ ἐνδεέστερονʼ, ex eo quod Dionysius ʽἐν πολλῇ εὐπορίᾳʼ, Photius ʽτῶν πολλῶν οὐκ ἐνδεέστερονʼ, quae quidem verba idem quod Dionysii significare opinatur, exhibent, Pseudoplutarchus autem nil, quod verbis illis respondeat, affert, concludit, *Dionysio et Photio fontem fuisse communem.*[3]) Quo in fundamento omnes suas ratiocinationes collocat. Cum enim ut in ceteris

[1]) Jahrbücher 1871, pp. 761 sqq.

[2]) l. l. p. 787.

[3]) l. l. pp. 768 sq.

vitis ita etiam in Lysiae verba Photii cum Pseudoplutarchi plerumque congruant, eo non adducitur vir doctissimus, ut eam sententiam respiciat, quae ab Arnoldo Schaefero [1]) argumentis satis idoneis confirmata est, *vitas decem oratorum a Photio exscriptas esse,* sed cum *fontem Photio a Pseudoplutarchi diversum, cum Dionysio communem esse* uno quod dixi argumento sibi persuaserit, *ea quae Pseudoplutarcho et Photio communia sint, Dionysiana autem in vita desint ex fonte primario in duos* quos statuit *fontes transiisse, a Dionysio tantum neglecta vel falso reddita esse* conicit. [2])

Cum vero verba Photii multis locis cum Pseudoplutarchi congruant, uterque saepius a Dionysio recedat, neglegentiam huius non raro coactus est reprehendere, non raro eius fidem in dubium vocare; hinc ad opinionem pervenit, auctoritatem Dionysii minoris quam Pseudoplutarchi aestimandam esse. Uno ut dicam verbo, auctoritatem critici fide dignissimi infringit, ut vindex existat compilatoris neglegentissimi; quin etiam Dionysii fidem minoris facit quam Photii, qui vitas decem oratorum opus futilissimum exscripserit. Quibus autem argumentis utitur? Ut iam dixi, tota demonstratio pendet ex uno argumento, quod nullum esse facile potest ostendi. Photius enim cum scriberet ʽἐπολιτεύετο τῶν πολλῶν οὐκ ἐνδεέστερονʼ illud Dionysianum ʽἐν εὐπορίᾳ πολλῇʼ certe non habuit ante oculos; id enim ad opes a Lysia paratas pertinet, illud ad rationem, qua civem se praestabat Thurinum; immo illa dicendi ratio Photio est usitata, ut ieiunum Pseudoplutarchi sermonem pleniore verborum copia reddat. Ita verba, quae in vit. Dem v. 68 extant ʽΕὐβουλίδῃ τῷ διαλεκτικῷʼ, a Photio p. 493 B 17 hoc modo vertuntur: ʽΕὐβουλίδῃ ὃς τῶν διαλεκτικῶν οὐδενὸς τὰ δεύτερα ἔφερενʼ; item quod in vita Lycurg. v. 69 repperit ʽεὔπορος ὤνʼ, id copiosius reddit his verbis p. 497 B 3: ʽκαίτοι τῶν τῆς πόλεως εὐπόρων οὐδενὸς ἐλαττούμενος.ʼ Itaque consistendum nobis esse censeo in ea sententia, quae gravioribus nisa sit argumentis, Photium vitas decem oratorum exscripsisse; id vero si statuimus, ne ea quidem inventa, quae A. Schoene de ratione inter Dionysium et Pseudoplutarchum intercedente ex-

[1]) Ztschr. f. Alterthw. 1848 n. 31 - 34.

[2]) cf. p. 769 vss. 33 sqq. p. 771 vss. 19 sqq. p. 773. p. 775.

hibuit, quidquam valere planum est; itaque ea in disputatione mea missa facere mihi licet.

Optime autem disputationem meam arbitror ita institui, ut de nonnullis controversiis quae ad vitam Lysiae pertinent quid iudicem primum exponam.

Vitae Lysiacae optimi erant fontes duae Lysiae ipsius orationes, quarum altera adversus Eratosthenem habita adhuc superstes est, alterius ‛*περὶ τῶν ἰδίων εὐεργεσιῶν*’ a grammaticis inscriptae nonnulla fragmenta ab Harpocratione servata sunt.[1]) Ex hac quidem ea quae scriptores vitarum Lysiacarum de Thuriis tradiderunt fluxisse veri simillimum est; ex ea etiam annus Lysiae natalis qui inter veteres ferebatur videtur computatus esse.

Cum enim in ea oratorem se annos quindecim natum Thurios migrasse satis certum videatur narrasse, hoc percepto veteres grammaticos ex eo quod colonia anno ol. 84, 1 deducta esse perhiberetur Lysiam natum esse anno ol. 80, 2 conclusisse a Vatero[2]) sagacissime excogitatum est eique plerique viri docti assensi sunt. At cavendum est ne opinemur Dionysium cum p. 453, 8 pronuntiaret ‛*κατ’ ἄρχοντα Καλλίαν μζ́ ἔτος ἔχων ὡς ἄν τις εἰκάσειεν*’ primum annum Lysiae natalem tali quam dixi ratione repperisse; hunc enim annum iam ante Dionysium inter veteres latum esse ex iud. de Isocr. c. I, p. 534, 6 apparet, ubi legimus ‛*Ἰσοκράτης ἐγεννήθη μὲν ἐπὶ τῆς πς́ ὀλυμπιάδος ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσιμάχου ἕ πρότερον ἔτει τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου κβ́ ἔτεσι νεώτερος Λυσίου*’, quae quidem verba certo ex fonte quodam antiquiore fluxerunt (cf. p. 537, 8). Item in vit. Andoc. v. 45 traditur: ‛*ἄρχει δ’ αὐτῷ* (sc. *Ἀνδοκίδῃ*) *τῆς γενέσεως ὀλυμπιὰς μὲν οή ἄρχων δ’ Ἀθήνησι Θεογενίδης ὥστ’ εἶναι πρεσβύτερον αὐτὸν Λυσίου ἔτεσί που δέκα.*’ [3]) Denique in vit. Lys. v. 38 extant verba: ‛*γεννηθῆναι δέ φασιν*

---

[1]) cf. Sauppe, O A. II, p. 187.

[2]) Rerum Andocid., p. II. Jahn's Jahrb. Suppl. IX, pp. 165 sqq. cf. Blass, Geschichte der griech. Beredts. bis Lysias, p. 332.

[3]) *δέκα* scribendum esse pro *ἑκατόν*, quod codices exhibent, ipsarum literarum vestigiis docemur:

ετεσι που δεκα τουτου
ετεσι που δεκα τουτουτου
ετεσι που ἑκατον τουτου

ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος᾽, quae quidem ex fonte alio quam ex libro Dionysiano hausta sunt. Quid quod Dionysius annum Lysiae natalem a veteribus constitutum ne prorsus probasse quidem videtur? Cur enim cum in vita Dinarchea annum oratoris natalem summa cum diligentia exquisierit, Isaei aetatis terminos quantum poterat constituerit, annum Isocratis natalem ex antiquioribus fontibus perceptum rettulerit, cur idem annum Lysiae natalem vulgari fama relatum silentio praeterit? Sine dubio, quod ipse dubitare incepit, num annus ille recte esset descriptus; eodem opinor scrupulo illud ῾ὡς ἄν τις εἰκάσειεν᾽ excitum esse; quamquam ex c. XII, p. 479, 1, annum vulgari fama latum ab eo nondum prorsus reiectum esse efficitur.

Nobis quidem annum illum Lysiae natalem non posse probari ex oratione Pseudodemosth. adv. Neaeram, § 21, sequitur. Ea enim cum Lysias perhibeatur circa annum ol 97, 3 [1]) amore meretricis accensus fuisse, mater autem eius quae etiamtunc viveret eodem tempore πρεσβυτέρα fuisse i. e. annum fere septuagesimum egisse, Lysiam non ante olympiadem octogesimam quartam natum esse liquet. Cum autem ex loco Phaedri Platonici notissimo, p. 279 A, Lysiam Isocrate maiorem fuisse efficiatur [2]), Isocrates vero anno ol. 86, 1 natus sit, non fallemur, si annum Lysiae natalem intra annos olympiadis octogesimae quartae collocaverimus.

Quindecim annos natus Lysias Thurios migravit. *Hoc* vero *tempore patrem eius mortuum fuisse* vulgaris est fama. Quae quidem nititur sola auctoritate Pseudoplutarchi v. 12 referentis haec: ῾τοῦ πατρὸς ἤδη τετελευτηκότος ὡς κοινωνήσων τοῦ κλήρου.᾽ Contra Dionysius nil aliud nisi hoc tradit p. 453, 1: ῾κοινωνήσων τῆς ἀποικίας.᾽ Cum vero ea, quae solus Pseudoplutarchus exhibeat, plerumque parva vel nulla fide digna esse perspexerimus, ne illud quidem, quod de morte patris scriptor tradit, si argumenta quibus infringatur invenerimus pro certo habendum esse iudicabimus. Atque extant talia argumenta.

---

[1]) Cum in actione adv. Neaeram intenta, quam post Ol. 109, 2 actam esse A. Schaefer III, 2. p. 183 probavit, Philostratus, qui amicus Lysiae eo quo Metaniram amaret tempore dicitur fuisse, testis adfuerit, §§ 22 sq., ea quae in oratione de Lysia narrantur, non ante annum ol. 97, 2 facta esse elucet. cf. Vater, l. l. p. 190.

[2]) cf. Blass, l. l. p. 333.

Primum vero positum est in tempore reipublicae Platonicae. Ibi enim inducimur in domum Cephali summa senectute confecti. *Quam quidam scenam in anno ol. 92, 3 a Platone collocatam esse* Boeckhius [1]) optimis argumentis demonstravit; contra quem C. Fr. Hermannus [2]) *scenam in anno ol. 87, 2 ponendam esse* exponebat nullo fere alio argumento usus quam quod Cephalus Pseudoplutarcho auctore circa annum ol. 87, 3 (eo enim anno Lysiam Thurios migrasse statuit) mortuus esset. Cum vero ceterarum personarum, quas Plato inducit, aetate respecta annus a Boeckhio constitutus multo magis probandus videatur, nonne auctoritas Pseudoplutarchi eo aliquantum infringitur? Deinde supra exposui, uxorem Cephali circa annum ol. 97, 3 superstitem fuisse septuaginta fere annos natam. Cum autem ex libro Platonis Cephalum summa senectute decessisse conicere liceat, si mortem eius in anno ol. 87, 3 poneremus Cephalum paene quinquaginta annis uxore sua maiorem fuisse statuendum nobis est; item inde efficeretur cum Lysias eo anno quo Thurios migraret annum decimum quintum egisset, fratrem autem minorem natu (Euthydemum) habuisset, Cephalum annos plus sexaginta natum filios suos genuisse. Tum filios Cephali in Piraeo magnas possedisse officinas scimus, Lysiam ipsum in Piraeo habitasse ex Phaedri Platonici exordio, p. 227 B, concludendum est. [3]) At quomodo fratres in possessionem officinarum venerant? Polemarchum philosophiae operam dedisse, Lysiam arti rhetoricae scimus; vix igitur credendum est, eos ipsos illas officinas sibi fuisse paraturos, nisi per hereditatem a patre accepissent. Hunc autem in Piraeo habitasse ex Plat. republ. p. 327 F apparet; hunc officinas illas quae post mortem eius in possessionem filiorum venerunt condidisse admodum placet. Quod si statuimus, fratres patre vivo Thuriis rediisse probemus necesse est. Denique si ea quae Lysias XII, 4 de familia sua narrat consideramus, etiam inde veri similius fit, filios statim in vicem patris *μετοικοῦντος* succesisse, quam per viginti annos patre mortuo ab urbe abfuisse. His de causis censeo Cephalum anno

---

1) De Platonis reipublicae tempore. Ind. acad. Berol. 183⁸/₉.

2) De reipublicae Platonicae temporibus. Marburg 1844. cf. Susemihl, Platon. Forschungen. Philol. Suppl. II, 1. p. 110.

3) cf. Stallbaum ad h. l. Polemarchum in urbe habitasse Lysias XII, 16, nos docet.

ol. 92, 3 superstitem fuisse[1]); cum vero Lysiam, XII, 4, potius maiorem numerum annorum, per quos Athenis pater habitarit, quam minorem indicare facile sit intellectu, Cephalum non ante annum ol. 85, 1 Athenas venisse sequitur; Lysiam autem, quem intra olympiadem 84 natum esse posuerim, Syracusis natum esse statuam.

At Dionysius Halicarnassensis Lysiam Athenis natum esse testatur. Idem autem p. 586, 3 Isaeum Atheniensem esse magis videtur probare quam Chalcidensem. Etiam Dinarchum Atheniensem esse erant qui contenderent, Pspl. vit. Din. 2; Dionysius si eum Corinthi natum esse certis statuit verbis, codicilli orationi adversus Proxenum adiuncti auctoritate adductus est cf. p. 635, 7. Quid vero inde discimus? Oratores illos Atticos, qui sermonem Atticum praeclara arte coluissent, vulgari fama latos esse Athenienses. Itaque si quae memoria oratorem talem reddit peregrinum, ei nisi alia argumenta obstant plus fidei habendum est; multo enim veri similius est peregrinum cum in sermone Attico summa cum arte versatus esset, fama vulgari Atheniensem factum esse, quam contrarium errorem et exortum et propagatum esse.

Syracusas vero patriam Lysiae esse a veteribus traditum est. Id primum ex Dionysii ipsius verbis conici potest. Nam si p 452, 1 refert ʻΣυρακουσίων μὲν ἦν γονέων ἐγεννήθη δ᾽ Ἀθήνησιʼ, videtur mihi tacite alteri memoriae, qua orator Syracusanus ferebatur, repugnare. Deinde Suidas hoc tradit: ʻΛυσίας Κεφάλου Συρακούσιοςʼ; altero in membro addit: ʻἐτέχθη δ᾽ ἐν Ἀθήναιςʼ quod quidem ut cetera quae secuntur ex libro Dionysii haustum est; priorem autem sententiam ex alio fonte fluxisse eo probatur, quod in ea praeceptores Lysiae quos Dionysius non cognovit afferuntur neque minus illud ʻεἷς . . . . . . ῥητόρωνʼ a scientia Dionysii prorsus alienum est.

Iam vero Timaeus scriptor antiquus et fide dignus praesto nobis est, qui Lysiam Syracusanum fuisse affirmavit [2]); eius ex auctoritate idem Iustinus V, 9 tradit.

---

[1]) Idem statuit Boeckhius in commentatione laudata; Susemihl, l. l. p. 110 Cephalum cum filiis Thurios migrasse contendit.

[2]) Cic. Brut. 63 „*Attici Lysiae — est enim Atticus, quoniam certe Athenis est et natus et mortuus et functus omni civium munere, quamquam Timaeus eum quasi Licinia et Mucia lege repetit Syracusas.*“

Cicero quidem sententiam Timaei impugnat; cui num fidem habeamus, cum eodem loco Lysiam peregrinum omnium civium munere functum esse contendat?

At fortasse dixerit quispiam Dionysium cum vitam Lysiae ex eius ipsius oratione hausisset facile potuisse eadem etiam de patria oratoris fieri certiorem.

Neque tamen Lysiam in ea ubi natus esset rettulisse crediderim. Quod si fecisset, qui omnino altera memoria Syracusas patriam tradere poterat? Atque Dionysius cum eam impugnare videatur quidni Lysiam ipsum auctorem certissimum laudat? Sin vero Syracusis natus fuit, cur in ea oratione, in qua civitatem Atticam peteret (῾περὶ τῶν ἰδίων εὐεργεσιῶν᾽), patriae suae mentionem non fecerit, facile est intellectu.

His igitur in momentis disceptatio controversiae posita est: Lysiam Athenis natum esse Dionysius testatur; at si statuimus eum errasse, causae huius erroris facile offeruntur. Syracusas vero patriam eius esse et Timaeus perhibuit et ex temporum a nobis descriptorum ratione efficitur; hinc non dubitarim statuere, Lysiam ol. 84 Syracusis natum esse.[1])

Iam ad rationem, quae inter vitas Lysiacas Dionysii et Pseudoplutarchi intercedit, exponendam transgredi licet.

Num ante Dionysium vita Lysiae a veteribus descripta fuerit nescimus; at eo quod nullius fontis ex quo vitam suam hauserit mentionem facit criticum ex solis Lysiae ipsius orationibus ea quae traderet accepisse veri simile fit. Ceterum vitam oratoris tantum usque ad id tempus, quo Thuriis Athenas rediit, describit Cum enim eis quae prorsus certa omnibusque cognita essent neglectis ea tantum, quae ut enarrarentur doctrina quadam opus esset, afferre soleret, in vita Lysiaca eis quae de fuga oratoris, de rebus tempore tyrannorum ab eo gestis in ipsis eius orationibus dilucide et accurate exposita essent, praetermissis ea, quae de iuventute Lysiae ab eo in oratione ῾περὶ τῶν ἰδίων εὐεργεσιῶν᾽ disperse tantum relata accepit, in certum et rerum et temporum ordinem redacta exhibuit. Neque de morte Lysiae cum quid certi de ea statuere non posset quidquam rettulit; nam ne de eius tempore quidem ullam extitisse memoriam aetate Dionysii perspicere

[1]) Idem de patria statuit Boeckh., l. l., Schneidewin, Lysiaca, Lips. 1851, p. 18, Plat. Phaedr. p. LIII.

licet huius ex verbis, quae extant in c. XII, p. 479, 1: 'εἰ ὀγδοηκονταετῆ γενόμενον θήσει τις τελευτῆσαι Λυσίαν.'

Hanc quidem sententiam meam, quam de origine vitae Dionysii exposui vita Pseudoplutarchi cum ea collata non infringi sed confirmari videbimus. Primum vero has duas vitas inter se cognatas esse demonstrandum est. Et Dionysius et Pseudoplutarchus referunt, parentes Lysiae Syracusanos esse, ipsum Athenis natum (Dion. p. 452, 1—2. Ps. 1—7), educatum esse cum Atheniensibus nobilissimo genere ortis (D. p. 452, 2—3. P. 8); quindecim annos natum coloniae Thurios deductae interfuisse ibique bona usum esse condicione (D. 452, 3—453, 4. P. 9—16); seditionibus post cladem Siculam Thuriis exortis quod Atheniensibus nimis favisset accusatum et expulsum Callia archonte Athenas rediisse (D. 453, 4—11. P. 16—22).

Itaque etiam in vita Lysiae fere eadem eodem ordine et a Dionysio et a Pseudoplutarcho reperimus relata. Neque minus in verbis ipsis, quibus sua uterque pronuntiet similitudinem quandam inesse, his docemur exemplis:

D. p. 452, 1 *Λυσίας ὁ Κεφάλου Συρακουσίων μὲν ἦν γονέων, ἐγεννήθη δ' Ἀθήνησι μετοικοῦντι τῷ πατρί.*	P. 1 *Λυσίας υἱὸς ἦν Κεφάλου, Συρακουσίου μὲν γένος, μεταναστάντος δ' εἰς Ἀθήνας — γενόμενος δ' Ἀθήνησιν .....*
p. 452, 2 *συνεπαιδεύθη τοῖς ἐπιφανεστάτοις Ἀθηναίων.*	8 *συνεπαιδεύετο τοῖς ἐπιφανεστάτοις Ἀθηναίων.*
p. 452, 3 *ἔτη δὲ ιέ γεγονώς.*	13 *ἔτη γεγονὼς ιέ.*
p. 453, 1 *ἀποικίας ἣν ἔστελλον Ἀθηναῖοι.*	9 *ἐπεὶ τὴν ἀποικίαν ἔστελλεν ἡ πόλις.*
κοινωνήσων τῆς ἀποικίας.	13 *κοινωνήσων τοῦ κλήρου.*
p. 453, 4 *πολιτευόμενος ..... μέχρι.*	16 *ἐπολιτεύσατο ἕως.*
p. 453, 7 *ἀττικισμὸν ἐγκληθεὶς ἐκπίπτει.*	19 *αἰτιαθεὶς ἀττικίζειν ἐξέπεσε.*
p. 453, 7 *παραγενόμενος αὖθις εἰς Ἀθήνας.*	20 *παραγενόμενος δ' Ἀθήνησιν.*
p. 453, 10 *διετέλεσε τὰς διατριβὰς ποιούμενος Ἀθήνησιν.*	22 *διέτριβεν αὐτόθι.*

Hac quam demonstravi et rerum et verborum similitudine respecta vel utrique fuisse fontem communem vel

alterum alterius auctorem esse debemus statuere. Sin vero eandem rationem, quam in vitis Dinarchi et Isaei probavimus, etiam in vitis Lysiacis inter Dionysium et Pseudoplutarchum intercedere ut ille huius fuerit auctor conicere licet, ad idem iudicium etiam aliis adducimur argumentis; quae quidem quo ordine singulis deinceps locis offeruntur examinemus.

Primum in verbis Dionysii p. 452, 1 ʽΣυρακουσίων μὲν ἦν γονέων, ἐγεννήθη δ᾽ Ἀθήνησι᾽, ut iam exposui, latet consilium scriptoris, ut alteram de patria oratoris memoriam impugnet. Quod quidem in verbis Pseudoplutarchi prorsus extinctum est: cum enim Dionysius duo membra inter se opposita proferat, alterum quod pronuntiat, oratorem ex parentibus Syracusanis genitum esse, alterum, eum ipsum Athenis esse natum, Pseudoplutarchus v. 2 omni talis oppositionis vestigio extincto simpliciter narrat, patrem Lysiae Syracusanum Athenas migrasse.

Dionysius p. 452, 3 nihil aliud de aetate oratoris exhibet nisi quod in oratione Lysiae, quam saepe dixi, videtur extitisse: ʽἔτη δὲ ιέ γεγονώς.᾽ Infra quidem p. 453, 9 vulgari de anno Lysiae natali fama accepta cautus addit: ʽὡς ἄν τις εἰκάσειεν.᾽ Contra Pseudoplutarchus annos quasi certi essent accepit; rationem quam prorsus falsis positam esse in fundamentis perspeximus ut certissimam probavit. Itaque si Dionysium nostrae scientiae meliorem praebere fontem statuimus, annum Lysiae natalem vulgari fama latum facile possumus reicere; sin Pseudoplutarcho maiorem fidem tribuimus, tum id, quod falsum esse firmis argumentis probatum nobis est, pro certo habeamus necesse est.

Dionysius tempus coloniae Thurios ductae ex antiqua ratione constituit p. 453, 2 ʽδωδεκάτῳ πρότερον ἔτει τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου᾽, Pseudoplutarchus v. 13 annum nomine archontis indicat. Illa vero temporis indicandi ratio quin propius ad usum antiquitatis accedat, nemo dubitabit. Dionysius p. 453, 1 narrat Lysiam interfuisse coloniae. Contra Pseudoplutarchus v. 12 addit, patre mortuo id factum esse. Cum vero ex eis quae exposui Pseudoplutarchum illo additamento falsa referre appareat, Dionysium fontem nobis praebere puriorem quam illum iterum efficitur. Atque Dionysio p. 453, 1 Lysiam cum duobus suis fratribus Thurios migrasse

refererenti non est cur fidem non habeamus; magis vero adducor ut fidem denegem Pseudoplutarcho Lysiam cum Polemarcho solo emigrasse narranti; id enim ex eodem fonte haustum esse videtur, cuius ex auctoritate scriptor Brachyllum inter fratres Lysiae rettulit; hunc vero errorem esse ex orat. adv. Neaer. § 22 exortum viri docti perspexerunt.[1])

Dionysius p. 453, 4—7 dilucide exponit Lysiam usque ad cladem Siculam Thuriis versatum esse, seditionibus vero post illam factis expulsum Callia archonte Athenas rediisse. Quibus in narrandis quatenus Lysiam ipsum secutus sit auctorem, planum esse censeo. Nam oratorem id maxime pressisse se post cladem Siculam, quod civitati Atheniensium favisset, Thuriis expulsum esse veri simile est. Itaque verba ʽμέχρι τῆς συμφορᾶς.... ἐγκληθείςʼ auctoritate Lysiae nituntur; id quod etiam eo demonstratur, quod certus expulsorum numerus indicatur. Dionysius vero ex eo, quod haec post cladem Siculam facta esse dicuntur, oratorem Callia archonte Athenis fuisse mihi videtur ipse coniecisse, non accepisse traditum. Contra vero Pseudoplutarchus v. 16 parum accurate hoc tradidit: ʽἐπολιτεύσατο ἕως Κλεοκρίτου τοῦ Ἀθήνησιν ἄρχοντοςʼ, cum proximo membro oratorem archonte Callia expulsum esse narret; alterum enim altero excluditur; nimirum scriptor cum verba Dionysiana, quae ante oculos habebat, paulum mutare studeret, in locum verborum ʽμέχρι τῆς συμφορᾶς τῆς — Σικελίᾳʼ annum, quo haec clades facta est, substituit; cladis vero ipsius proximo demum membro mentio est facta nexu tamen sententiarum parum accurate observato; sententiae enim a scriptore ita inter se coniunctae sunt, ut verba ʽτῶν κατὰ Σικελὶαν συμβάντων Ἀθηναίοιςʼ, quibus causa seditionis contineatur, cum debeant membro ʽκινήσεως γενομένηςʼ inferiore ordine adiungi, cum eo particula ʽκαίʼ conjuncta potius causam fugae oratoris indicent. Denique v. 21 nomen Calliae archontis repetitur; nimirum quod scriptor illud Dionysianum ʽπαραγενόμενος κατʼ ἄρχοντα Καλλίανʼ ante oculos habuit.

Vitarum igitur Lysiacarum quae a Dionysio et Pseudoplutarcho conscriptae extant, cum eas proxime inter se cognatas esse ex similitudine et rerum et verborum perspexerimus, non solum priorem ad fontem primarium multo propius

---

[1]) cf. Blass., l. l. p. 337, not. 2.

accedere quam alteram ex eis, in quibus inter se recedunt, apparet, sed etiam rationem, quae inter eos intercedit, hanc esse possumus statuere, ut Dionysius sua ex solis Lysiae orationibus hauserit, Pseudoplutarchus vero iterum Dionysiana expresserit.

At iam ex nonnullis quae supra attuli exemplis praeter Dionysium aliorum auctorum vestigia in vita Lysiana Pseudoplutarchi cognosci planum est, quae haud scio an ad unum, quem praeter Dionysianum adhibuerit scriptor, fontem referri possint. Quibus quidem exemplis ea quae restant addam.

Pseudoplutarchus v. 1 non solum patris sed etiam avi et proavi nomina tradit, quae sine dubio ex Plat. reipubl. l. I c. IV hausta sunt (ibi enim Cephalus inducitur dicens: ʽὁ πάππος τε καὶ ὁμώνυμος ἐμοί .... Λυσανίας δὲ ὁ πατήρ) v. 3 Causae, quibus Cephalus ut Athenas migraret adductus sit, indicantur; quod quidem admonitu Periclis id fecisse dicitur, id auctoritate Lysiae ipsius (XII, 4) nititur; cetera vero quae addita sunt a posterioribus excogitata videntur; prorsus a vero recedebant, si Cephalum a Gelone tyranno expulsum esse referebant.

v. 15 scriptor de condicione qua Lysias Thuriis usus est accuratius tradit ʽκτησάμενός τ᾽ οἰκίαν καὶ κλῆρον λαχών᾽, quae verba utrum ex fonte quodam fluxerint an, id quod veri dissimile non est, eis Dionysianum illud (p. 454, 4) ʽἐν εὐπορίᾳ πολλῇ᾽ exprimi scriptor voluerit disceptari non potest.

v. 14 Tisias et Nicias [1]) dicuntur praeceptores, quibus Lysias Thuriis sit usus. Eosdem nominat Suidas. Cum vero Dionysius, quem de institutione oratorum diligenter quaesisse constat, praeceptorum Lysiae nullam mentionem fecerit, de eis aetate eius nil constitisse videtur; neque est cur illis nomina praeceptorum referentibus multum fidei tribuamus.

Quibus locis propositis quin praeter Dionysium alii auctores Pseudoplutarcho in vita Lysiana enarranda praesto fuerint dubitare non possumus; ex eis vero quae fluxerint ea paucis auctoritate veterum scriptorum confirmatis exceptis magna fide esse negarim.

---

[1]) Spengel, *συν τεχν.* p. 38 *nomen Niciae ex Tisiae corruptela exortum esse* censet; praestare mihi videtur, rem dubiam mittere.

Sin vero sunt qui existiment,[1]) *Pseudoplutarchum omnino non eam vitam a Dionysio descriptam, quae in iudicio de Lysia superstes esset exscripsisse, sed longiorem de oratore commentationem, quam criticus in libro priore* (p. 485, 8) *promissam postea conscripsisset,* eis assentiri non possum. Nam primum utrum Dionysius peculiarem de Lysia librum an universum de orationibus Atticis tempore suo servatis opus ediderit, dubium est. Neque si peculiarem de Lysia librum conscripsit, eum in eo vitam oratoris repetiisse veri simile est. Deinde tantam similitudinem inter vitam Pseudoplutarchi et Dionysianam superstitem esse cognovimus, ut si cum illis consentiremus nobis statuendum esset Dionysium in vita altera priorem paene verbotenus transscripsisse. Denique additamenta Pseudoplutarchi quae in vita Dionysiana superstite non extant plerumque tam parvi pretii sunt vel etiam Dionysianis ita repugnant, ut ea ex altera Dionysii commentatione hausta esse summo iure dubitemus statuere.

Hinc ne ea quidem, quae Pseudoplutarchus v. 22—v 37 narrat, auctoritate Dionysii nituntur. Immo illa vitae pars vel ex ipsis Lysiae orationibus videtur mihi fluxisse vel ex alio quodam auctore; alterum vero si statuimus, auctorem Pseudoplutarchi sua ex orationibus Lysiae hausisse negari non potest. Nam quae de fuga oratoris narrantur ea ex narratione orationis duodecimae exorta sunt (v. 25 ‘*διαδρὰς ἐκ τῆς οἰκίας ἀμφιθύρου οὔσης*’ cf. Lys. XII, 15 ‘*ἔμπειρος γὰρ ὢν ἐτύγχανον τῆς οἰκίας καὶ ᾔδειν ὅτι ἀμφίθυρος εἴη*’ § 16); quae vero de auxilio exulibus a Lysia praestito traduntur, ea veri speciem tam dilucide prae se ferunt, ut ficta ea esse prorsus negarim[2]); immo persuasum mihi est, Lysiam de eis rebus in oratione *περὶ τῶν ἰδίων εὐεργεσιῶν* inscripta ipsum rettulisse neque ea actio, in qua orationem illam habitam esse veri simile est, dico actionem, quam Archinus Thrasybulo intendisse perhibetur, inter fabulas fictas videtur mihi referenda esse.[3])

---

[1]) cf. Blass., l. l. p. 334.

[2]) Lys. XIX, 19 ‘*Λυσίου φίλου ὄντες καὶ ξένου τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον πλεῖστα ἀγαθὰ πεποιηκότος*’ Hic locus non est corruptus. cf. Westermann, commentat. in scriptt. graec. V, p. 6, Schaefer, Philol. XVIII, 188.

[3]) Fabulam esse contendit Scheibe, Jahrb. XXXI, p. 359 sq. Contra eum disputavit Blassius, l. l. p. 340.

Denique v. 37 — v. 39 de anno vitae quo orator decessisse dicitur triplex refertur memoria; in his quem vel quos auctores scriptor consuluerit nescimus; Dionysium inter eos non esse planum est. [1])

Iam si ea quae de vita Lysiana a Pseudoplutarcho conscripta disputavi complector, haec fere summa est: **Dionysius etiam in vita Lysiana auctor Pseudoplutarchi primarius est; is tamen praeter illius vitam alios fontes adhibuit;** omnium autem eorum quae ex libro Dionysiano non hausit fere tantum ea fide sunt digna, quae de fuga oratoris et rebus tempore tyrannorum ab eo gestis exhibuit.

IV.

Vita Isocratis.

(Dion. Hal. iud. de Isocr c. I. p. 534, 6 — p. 537, 9. Westermann, *Βιόγραφοι* pp. 246 sqq.)

Cum de vitis Dinarchi et Isaei nemo ante Dionysium scripsisset neque illi ad vitam Lysiae enarrandam ullus alius fons quam duae oratoris ipsius orationes videretur praesto fuisse, de Isocrate oratore compluria scripta extabant. **Philiscum** enim Isocrateum *ἀπόφασιν Ἰσοκράτους* scripsisse ex Suida comperimus, **Cephisodorum** Isocrateum '*ἐν ταῖς πρὸς Ἀριστοτέλη ἀντιγραφαῖς*' defensionem praeceptoris composuisse Dionysius p. 577, 6 nos certiores facit, **Speusippum** Isocrateum *τὰ παρὰ Ἰσοκράτους καλούμενα ἀπόῤῥητα* collecta edidisse Diogenes Laertius, IV, 2, tradit. Quibus libris, quamquam ad doctrinam praeceptoris et defendendam et propagandam emissi essent, tamen de vita eius nonnulla exhibita fuisse statuere licet. Optime vero de Isocrate **Hermippus** meruit, qui librum de Isocrate (cf. Athen. XIII, p. 592 d '*Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ Ἰσοκράτους*') et alterum de discipulis Isocratis (Dion. Hal. iud. de Isae., c. I p. 588, 2) conscripsit.

---

[1]) verba v. 38 '*ἢ ὥς τινες ὑπὲρ π'*' non pertinent ad illud Dionysianum (p. 479, 1): '*εἰ ὀγδοηκονταετῆ γενόμενον θήσει τις τελευτῆσαι Λυσίαν.*' Illa enim videntur ex eodem fonte fluxisse, ex quo ea quae secuntur '*ἰδὼν Δημοσθένην μειράκιον ὄντα. γεννηθῆναι δέ φασιν ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος*'; hunc enim opinor nexum in fonte fuisse sententiarum: *„Lysias Philocle archonte natus est; plus octoginta annos complevit; hinc sequitur eum vidisse Demosthenem.“* cf. vit. Demosth. v. 86.

Quo factum est ut Dionysius cum in vitam Isocratis accuratius inquirere supersederet primo libri sui capite ea tantum quae ex aliis fontibus hausit summatim enarraret. cf. p. 537, 8 ʽτὰ μὲν οὖν ἱστορούμενα περὶ αὐτοῦ κεφαλαιωδῶς ταῦτ᾽ ἐστίν.᾽ Eum autem cum in exordio libri de Isaeo editi se ut de huius vita aliquid cognosceret libros Hermippi evolvisse ipse nobiscum communicet eundem etiam in vita Isocratis enarranda ante omnes consuluisse censuerim. Neque tamen librum Hermippi ab illo verbotenus transscriptum esse existimandum est; id quod eo minus statuas, quia Dionysius vitam oratoris brevissime adumbravit, cum Hermippus sine dubio diutius in singulis versatus esset; quo accedit, quod Dionysius in ea parte, qua studia scriptaque oratoris tractat, p. 535, 6 — p. 536, 7 ipsa Isocratis verba laudat eumque ante oculos se habuisse bis indicat p. 535, 17 ʽταῦτα ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ λόγῳ περὶ αὐτοῦ γράφει.᾽ p. 535, 17 ʽὥς φησιν αὐτός.᾽

Pseudoplutarchum in vita Isocratis enarranda fontes Dionysio antiquiores potuisse adhibere, itemque orationes Isocrateas, ex quibus de vita oratoris hauriret, praesto ei fuisse nemo negavit. Nihilo tamen sequius censeo Pseudoplutarchi in ea vitae Isocrateae parte, de qua sola ago (v. 1 — v. 65), conscribenda Dionysium non aliter quam in vitis a me tractatis auctorem fuisse primarium. Quod quidem nunc est demonstrandum.

Usitata autem inita ratione primum notarim, rerum ab utroque scriptore narratarum ordinem paene eundem esse. Primo enim loco de anno natali et de patre oratoris agitur (D. 534, 6—12. P. 1—8), deinde de disciplina qua usus est (D. 534, 12 — 535, 5. P. 9 - 19), causis cur ad rempublicam non accesserit expositis (D. 535, 6—10. P. 19—21) de scriptis quae orator edidit politicis agitur (D. 535, 10 — 536, 7. P. 23—28); tum verba fiunt de schola Isocratea (D. 536, 7 — 537, 2. P. 28—56), denique de exitu oratoris (D. 537, 2—8. P. 56—65). Verborum autem similitudinis haec propono exempla.

D. 534, 9—12 πατρὸς δ᾽ ἦν Θεοδώρου τινὸς τῶν μετρίων πολιτῶν θεράποντας αὐλοποιοὺς κεκτημένου καὶ	P. 1—3 Θεοδώρου ἦν παῖς ἑνὸς τῶν μετρίων πολιτῶν, θεράποντας αὐλοποιοὺς κεκτημένου καὶ εὐπο-

τὸν βίον ἀπὸ ταύτης ἔχοντος τῆς ἐργασίας.	ρήσαντος ἀπὸ τούτων.
534,12—13 παιθευδεὶς οὐδενὸς Ἀθηναίων χεῖρον.	9—10 ἐπαιδεύετο οὐδενὸς ἧττον Ἀθηναίων.
535,1—5 γενόμενος δ᾽ ἀκουστὴς Προδίκου τε τοῦ Κείου καὶ Γοργίου τοῦ Λεοντίνου καὶ Τισίου τοῦ Συρακουσίου — καὶ Θηραμένους τοῦ ῥήτορος ὃν οἱ τριάκοντα ἀπέκτειναν.	10—12 ἀκροώμενος Προδίκου τε τοῦ Κείου καὶ Γοργίου τοῦ Λεοντίνου καὶ Τισίου τοῦ Συρακουσίου καὶ Θηραμένους τοῦ ῥήτορος οὗ καὶ συλλαμβανομένου ὑπὸ τῶν λ′ etc.
535, 6—10 σπουδὴν μὲν ἐποιεῖτο πράττειν καὶ λέγειν τὰ πολιτικά. ὡς δὲ ἡ φύσις ἠναντιοῦτο — ἀφελομένη τόλμαν τε καὶ φωνῆς μέγεθος, ταύτης μὲν ἀπέστη τῆς προαιρέσεως.	19—21 τῶν μὲν πολιτικῶν πραγμάτων ἀπέσχετο ἰσχνόφωνός τ᾽ ὢν καὶ εὐλαβὴς τὸν τρόπον.
536,3—4 πρῶτος ἐχώρησεν ἀπὸ τῶν ἐριστικῶν τε καὶ φυσικῶν ἐπὶ τοὺς πολιτικοὺς καὶ περὶ ταύτην σπουδάζων τὴν ἐπιστήμην διετέλεσεν.	33—34 χωρίσας πρῶτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους τῶν πολιτικῶν, περὶ οὓς ἐσπούδασεν.
537,2—3 ἐτελεύτα τὸν βίον ἐπὶ Χαιρώνδου[1]) ἄρχοντος.	56 ἐτελεύτα δ᾽ ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος.

In vitis igitur Dionysii et Pseudoplutarchi tantus et rerum et verborum consensus est, ut aut utrumque ex fonte communi hausisse aut alterum alterius auctorem esse planum sit. Communem vero utrique fontem statui posse nego. Dionysius enim quamquam ea quae tradit alibi relata accepit certe et rerum ordinem et sermonem ipse finxit, ea autem quae de studiis discipulisque oratoris nos docet, Isocrate ipso auctore suis verbis nullo certe ex fonte haustis expressit intermissis locis quibusdam ex illius orationibus laudatis. Atque cum in eis vitis de quibus egi enarrandis Pseudoplutarchum Dionysiana paene verbotenus transscripsisse perspexerimus, quoniam etiam

[1]) Lectio vulgaris est: *Χαιρωνίδου*, Pseudoplutarchi vitarum codicum altera pars *Χερωνίδου*, altera *Χαιρωνίδου* exhibet.

in vita Isocratea talis utriusque cognoscitur consensus, si de hac idem quod de illis statuerim non fallar. Quod quidem iudicium maxime confirmatur eo vitae Pseudoplutarchi loco, quo de studiis et schola Isocratis agitur.

Dionysius p. 535, 6—17 nos docet, Isocratem voce tenui et animo timido pavidoque impeditum esse, ne ad rem publicam accederet neve in contione ad populum verba faceret; laudis tamen ac gloriae cupiditate adductum cogitationes de rebus publicis a se susceptas litteris mandare incepisse; inde scripta illa extitisse, quibus cives suos ad recte agendum adduceret. Haec quidem Dionysius, ut ipse indicat, ex oratione Panathenaica (cf. §§ 10 sq.) percepit; verbis 'τάς τε πόλεις ἄμεινον οἰκήσεσθαι καὶ τοὺς ἰδιώτας ἐπίδοσιν ἕξειν πρὸς ἀρετήν' sine dubio memoria repetiit ea quae in orationis VIII § 64 extant: 'ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι καὶ τὴν πόλιν ἡμᾶς ἄμεινον οἰκήσειν καὶ βελτίους αὐτοὺς ἔσεσθαι καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς πράξεις ἐπιδώσειν.'

Deinde p. 535, 17 — p. 536, 7 exponitur quomodo Isocrates a sophistarum eloquentia recesserit suamque artem in usum vitae converterit. Qua de ratione, qua eloquentia eius insignis est, ipse in oratione adversus sophistas (cf. §§ 1 sqq. § 21) loquitur eamque longius defendit in oratione περὶ ἀντιδόσεως (cf. §§ 258 sqq. §§ 270 sqq. § 277 'ὥσθ' ἅμα τὸ λέγειν εὖ καὶ τὸ φρονεῖν παραγενήσεται τοῖς φιλοσόφοις καὶ φιλοτίμως πρὸς τοὺς λόγους διακειμένοις'). Inde transitur ad scholam Isocrateam, quam nullo discipuli nomine allato summatim pertractat nobilitate discipulorum illum floruisse affirmans. Haec vero omnia considerate ex verbis Isocratis ipsius percepta et accurate exposita esse omnes concedunt Duo enim summo iure premuntur genera studiorum, quibus Isocrates per totam vitam se dedidit, quorum quidem alterum est scriptis de salute patriae bene merendi, alterum doctrinae artis dicendi docendae; utrumque autem cum curaret, id maxime egit, ut eloquentiam ad usum vitae adhiberet. Haec igitur cum exponeret Dionysius studia et vitam oratoris et accurate et breviter adumbravit.

Iam ea quae Pseudoplutarchus eisdem de rebus exponit examinabo. Qui vss. 19 sqq. haec exhibet: 'ἐπεὶ δ' ἠνδρώθη τῶν μὲν πολιτικῶν πραγμάτων ἀπέσχετο ἰσχνόφωνός τ' ὢν καὶ εὐλαβὴς τὸν τρόπον καὶ τὰ πατρῷα ἀποβεβληκὼς

ἐν τῷ πρὸς Λακεδαιμονίους πολέμῳ ἄλλοις δὴ μεμελετηκὼς [1]) φαίνεται, ἕνα δὲ μόνον εἰπὼν λόγον τὸν περὶ τῆς ἀντιδόσεως, διατριβὴν δὲ συστησάμενος ἐπὶ τὸ φιλοσοφεῖν καὶ γράφειν ἃ διανοηθείη [2]) ἐτράπετο.' Tria igitur his verbis exponuntur: primum oratorem impeditum fuisse ne ad rem publicam accederet, deinde scripsisse aliis orationes iudiciales, denique scriptis politicis scribendis operam dedisse. Illud vero quod primo loco expositum est, et hoc quod tertio loco affertur, etiam in vita a Dionysio conscripta extare vidimus (cf Dion. p. 535, 6—12); at quod secundo loco legitur neque apud Dionysium extat neque in nexum sententiarum videtur quadrare. Frankio [3]) enim si particula δή, quam codices post ἄλλοις v. 22 exhibent, in δέ mutata *membra* 'τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἀπέσχετο' *et* 'ἄλλοις μεμελετηκὼς φαίνεται' *inter se opposita esse* opinatur, assentiri non possum. Cum enim totus locus, quocumque ex fonte est haustus, ipsis Isocratis verbis nitatur, eum si interpretamur hic ante omnes respiciendus est. Orator autem nullo verbo se re familiari amissa a republica abstinuisse docet; multo vero aptius est statuere, verbis 'τὰ πατρῷα ἀποβεβληκώς' causam cur aliis orationes scripserit contineri; unde efficitur, participium 'ἀποβεβληκώς' arte coniungendum esse cum verbis 'μεμελετηκὼς φαίνεται.' At fortasse proposuerit quisquam, 'καὶ τὰ πατρῷα' mutandum esse in 'τὰ δὲ πατρῷα.' At ne hoc quidem concesserim. Isocrates enim, quem totius loci auctorem esse planum est, cum dicat, XII, 11, 'ἐπειδὴ τοῦ πολιτεύεσθαι διήμαρτον, ἐπὶ τὸ φιλοσοφεῖν καὶ πονεῖν καὶ γράφειν ἃ διανοηθείην, κατέφυγον' nos docet, oppositas inter se esse sententias, quarum altera sit, oratorem a rebus publicis abstinuisse, altera eum philosophiae et scriptis politicis componendis operam dedisse. Hinc in verbis Pseudoplutarchi nil est mutandum; opposita enim sunt membra: 'τῶν μὲν πολιτικῶν πραγμάτων ἀπέσχετο' et 'διατριβὴν δὲ συστησάμενος' etc.; id autem membrum, quo de orationibus iudicialibus agitur ('καὶ τὰ πατρῷα...... περὶ τῆς ἀντιδόσεως') a nexu sententiarum alienum est; itaque statuere licet, scriptorem duo

[1]) μεμαρτυρηκώς libri, μεμελετηκώς recte Wolfius restituit.
[2]) ἃ διανοηθείη restituit Wolfius, διανοηθείς exhibent libri.
[3]) Jahrb. f. Philol. XII. p. 231.

illa membra inter se opposita ex vita Dionysiana[1]) hausisse, hoc autem membrum aliunde petitum inter ea interiecisse. Postquam autem v. 23 — v. 28 simili modo atque Dionysius Isocratem scripta politica composuisse exposuit, v. 28 ita pergit: 'διαμαρτάνων δὲ τῆς προαιρέσεως τούτων μὲν ἀπέστη, σχολῆς δὲ ἡγεῖτο.' At primum Isocrates per totam vitam scripta politica composuit, deinde ne inceperat quidem talia edere cum scholam suam aperuit. Sin vero verba 'διαμαρτάνων..... ἀπέστη' coniungimus cum verbis 'ἄλλοις μεμελετηκὼς φαίνεται', optimam accipimus sententiam; scimus enim Isocratem postquam aliis orationes scribere desiisset scholam suam aperuisse. Idem vero Cicero, Brut. c. 48, Aristotele auctore contendit: „*Isocratem primo artem dicendi esse negavisse. scribere autem aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur, sed....orationes aliis destitisse scribere totumque se ad artes componendas transtulisse.*"

Quid igitur inde apparet? Pseudoplutarcho duo fontes praesto erant, quorum altero expositum erat Isocratem cum a re publica abstinere coactus esset ad scripta politica componenda studium suum contulisse, altero exhibitum erat Isocratem re familiari amissa primum aliis orationes scripsisse, deinde scholam aperuisse. Quae vero ex utroque fonte hausit ea tali quali perspeximus ratione neglegenter confudit. Quin autem alter fons vita Dionysiana fuerit non est dubium; Dionysium enim Pseudoplutarchi auctorem fuisse cum ex ceteris vitae partibus tum ex eis quae secuntur plane apparet. Quamquam enim ea quae scriptor de schola Isocratea narrat, non ex libro Dionysiano sed ex altero fonte fluxisse planum est, tamen duobus locis Dionysiana occurrunt; primum enim v. 32 haec legimus: 'ὡμίλει δὲ τοῖς βουλομένοις χωρίσας πρῶτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους τῶν πολιτικῶν περὶ οὓς ἐσπούδασεν.' Quae verba conferenda sunt cum his Dionysianis p. 536, 3 'πρῶτος ἐχώρησεν ἀπὸ τῶν ἐριστικῶν τε καὶ φυσικῶν ἐπὶ τοὺς πολιτικοὺς καὶ περὶ ταύτην σπουδάζων τὴν ἐπιστήμην διετέλεσεν, ἐξ ἧς .... παραγίνεται τοῖς μαθοῦσιν.' Quae et ad scripta oratoris et ad scholam eius

[1]) Cum Pseudoplutarchus item ut Isocrates exhibeat: 'ἐπὶ τὸ φιλοσοφεῖν καὶ γράφειν ἃ διανοηθείη', in verbis Dionysianis p. 535, 12 excidisse censeo ante 'γράφειν' verba 'φιλοσοφεῖν καί.'

referenda esse, cum rationem eloquentiae quam ille et exercuerit et docuerit contineant, supra dixi. Pseudoplutarchus vero eadem ad scholam tantum pertinere opinatus in eam vitae suae partem qua de hac agitur transscripsit, male tamen verba a se non intellecta reddidit; nam cum Dionysius scite affirmarit, oratorem primum artem eloquentiae — dico artem, qualis a sophistis colebatur — ad usum vitae adhibuisse, quid sibi volunt verba Pseudoplutarchi, quibus nulla alia sententia subiecta esse potest quam Isocratem eloquentiam politicam a sophistarum seiunxisse? Immo ante Isocratem eloquentia politica a sophistarum multo longius aberat, ita ut contendere possimus illum primum eloquentiam politicam arte sophistarum imbuisse. Itaque verba ex libro Dionysiano hausta a scriptore et loco parum apto et sententia male percepta verbis alterius fontis immista sunt.

Deinde verba quae v. 35 leguntur 'ἀργύριόν τε ὅσον οὐδεὶς σοφιστῶν εὐπόρησεν' cum his congruunt Dionysianis p. 537, 1 'ὅσον οὐδεὶς τῶν ἀπὸ χρηματισαμένων περιποιησάμενος' itaque etiam hoc ex loco scriptorem Dionysiana cum eis quae ex altero fonte relata accepisset coagmentavisse elucet.

Iam fides alterius fontis quem Pseudoplutarchus praeter Dionysianum adhibuit examinanda est. Atque primum quidem ex eo scriptor relatum accepit, Isocratem re familiari amissa aliis incepisse orationes scribere. Talem enim sententiam verbis 'ἄλλοις μεμελετηκὼς φαίνεται' reddi ex verbis quae secuntur 'ἕνα δὲ μόνον εἰπὼν λόγον τὸν περὶ ἀντιδόσεως' efficitur Illud autem ne pro certo habeamus locus orationis περὶ ἀντιδόσεως, §§ 161 sq., videtur obstare ubi orator ipse se re familiari amissa scholam aperuisse narrat. Atque re vera extitere, qui orationes iudicales ab Isocrate nullas compositas esse contenderent. Tamen Dionysius pp. 576 sq. eis testimonium Cephisodori opponit. Neque est cur orationes iudiciales, quae nomine Isocratis feruntur, ab eo abiudicemus. Quae quidem cum omnes in iuventutem oratoris cadant, inter eius studia primam actionis iudicialis mentionem fieri plane probandum est. Hactenus igitur scriptor vera exhibet; addentem tamen, Isocratem orationem περὶ ἀντιδόσεως in iudicio habuisse, prorsus falli omnes concedant; quod cum vix sit necessarium refutare, liceat mihi id tantummodo afferre, quod Dionysius in

arte rhet., c. XII, p. 357, 15 sqq., de illa oratione censuit: 'ἐγκώμιον αὐτοῦ ἠθέλησε γράψαι καὶ τὴν ἀπολογίαν προετάξατο, τοῦτο καὶ Πλάτων πεποίηκεν ἐν τῇ ἀπολογίᾳ τοῦ Σωκράτους ἐγκώμιον βουλόμενος γράψαι ἐν ἀπολογίας σχήματι.'

Summam vero in suspitionem meam cadunt ea quae de schola Isocratea exhibentur. Narratur enim Isocrates Chii scholam cum novem discipulis aperuisse. Nimirum quod scriptor vss. 34 sq. Isocratem ad rem publicam Chiam accessisse refert id iam ab Hieronymo Wolfio[1]) reiectum est. At etiam quod schola Chii aperta narratur esse, id fictum esse censeo. Nam primum quidem quod orator scholam cum novem discipulis aperuisse dicitur, velim respicias, Isocratem in or. περὶ ἀντιδόσεως § 93 octo enumerare discipulos, qui primi sibi operam dederint; eis si Timotheum addis, quem orator quidem ipse § 101 inter amicos suos, sed Pseudoplutarchus v. 37 inter discipulos eius refert, numerum accipis novem diacipulorum, quos primos Isocrates artem dicendi docuit. Eos quidem Athenis institutos esse statuere non dubitabimus, praesertim cum eos omnes Athenienses fuisse sciamus (cf. XV, 93 'τούτους ἅπαντας ἡ πόλις χρυσοῖς στεφάνοις ἐστεφάνωσεν'). Neque tamen abest suspitio, quin scriptor noster eosdem dicat sed Chii ab Isocrate institutos esse tradat. Deinde mirari debemus, cur Isocrates ipse cum multa de disciplina sua narret scholae Chiae mentionem non faciat; facillime vero fama de schola Chii aperta exoriri poterat, cum complures Isocratei, inter quos Theopompus discipulus celeberrimus erat, Chio essent orti. Maxime vero viri docti difficultate temporis quo Isocrates Chii versatus esset constituendi vexati sunt. Nam ex Ciceronis Bruto, c. 49, comperimus Isocratem studio orationum iudicialium scribendarum amisso scholam aperuisse; quod quidem eo libentius amplectimur, quod omnes quae extant orationes iudiciales in priorem vitae oratoris partem cadunt. Ultima vero oratio pro Alcibiade scripta est; quae quidem cum Lysias ei oratione XIV anno ol. 96, 2 [2]) scripta responderit non multo ante annum ol. 96, 2 collocari potest[3]); certe

---

[1]) Schaefer, Demosthenes, I, 24 not. 2.

[2]) Blass., l. l. p. 486.

[3]) cf. Rehdantz, Goett. gel. Anz., 1872, pp. 1173 sq. Sauppe, Zeitschr. f. Alterthw., 1835, pp. 407 sq. Ceterum Car. Reinhardt, de Isocr. aemulis.

nequaquam possum adduci, ut eam ante ol. 95, 3 compositam esse statuam, id quod Sannegius voluit [1]) nullo alio adductus argumento quam quod oratorem ab anno ol. 95, 3 usque ad annum ol. 96, 2 Chii versatum esse sibi persuasit; at orationes Isocratis et Lysiae quas dixi parvo tantum temporis spatio distare veri simile est. Accedit, quod Chius insula ex belli Peloponnesiaci exitu usque ad pugnam apud Cnidum commissam sub potestate Lacedaemoniorum fuit [2]); itaque Isocratem ante annum ol. 96, 3 in insula commoratum esse vix potest statui. Sin vero post annum ol. 96, 3 oratorem Chium transisse ponimus, eum non ante annum ol. 97, 2 Athenis scholam aperire potuisse statuendum est; aperuit autem scholam edita oratione adversus sophistas (Isocr. XV, 193). Iam vero Sannegius [3]) recte animadvertit, inter eos discipulos, quos primos Athenis Isocrates instituerit, esse qui iam anno ol. 97, 2 publicis muneribus functi esse dicantur [4]); itaque et ipse et Uebergwegius [5]) illam orationem in anno ol. 96, 4 collocant eodemque tempore scholam ab Isocrate Athenis esse apertam statuendum est.

Hinc elucet, Isocratem neque ante annum ol. 96, 3 neque post hunc annum Chii fuisse; quae igitur de schola ibi aperta a Pseudoplutarcho ex scriptoris cuiusdam libro (ʽὥς τινές φασιʼ) traduntur ficta sunt. [6])

Bonnae 1873, p. 3 optime demonstravit, *illud in tempus cadere certamen inter Lysiam et Isocratem factum, quod in Platonis Phaedro tangatur.* Ex quo cum superior Isocrates videatur discessisse, eodem eum tempore Athenas reliquisse veri simile non est.

[1]) de schola Isocr., Hal. Sax., 1867, p. 6.

[2]) Schaefer, I, 24.

[3]) l. l. p. 6.

[4]) Si qui statuunt, *Eunomum iam post triginta tyrannos expulsos a civibus suis corona esse donatum,* talis quidem coniectura omni privatur fundamento, si locum Lysiae XIX, 19 sanum esse censemus. cf. p. 28 not. 2. Illi enim locum cum Sauppio restituendum esse opinantur ita: ʽ*μετὰ Εὐνόμου, Διονυσίου φίλου ὄντος καὶ ξένου, τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον πλεῖστα ἀγαθὰ πεποιηκότος ὥς ἐγὼ ἀκήκοα τῶν ἐν Πειραιεῖ τῶν παραγενομένων.*ʼ

[5]) Philol. XXVII, p. 175.

[6]) Weissenborn, encycl. Hal. II, Serie XXV, B p. 27 proponit v. 30 ʽ*ἐπὶ Χίου*ʼ mutandum esse in ʽ*ἐπί Πυθέου*ʼ (Ol. 100, 1) vix quoquam probante.

Additur deinde v. 30 — v. 32 vox Isocratis, quam cum primos accepisset discipulos dicitur emisisse. Solent autem talia dicta celeberrimis quibusque viris tribui, quod utrum iure factum sit necne vix potest nostra aetate disceptari. Ea vero vox quae hoc loco refertur mihi concinere non videtur cum verbis oratoris ipsius elatis (XII, 13 sq.), quibus se praeceptorem principum Graecorum fuisse profitetur. Unde dictum fluxerit facile intellectu est. Socrates enim apud Xenophontem (Mem. I, 2, 6) praeceptores mercedem postulantes servos appellat.

v. 37 Timotheus inter discipulos oratoris refertur. Quocum se amicitia coniunctum fuisse orator ipse XV, 101 profitetur. Itaque huic fidem habebimus, Pseudoplutarchum vero, quamquam Cicero, de orat. III, 35, cum eo facit, errasse iudicabimus, praesertim cum ne id quidem planum certumque sit, num Isocrates Timothei comes fuerit; certe ex verbis illius ipsius nullum talis consuetudinis vestigium cognoscitur.[1])

Quid vero dicam de fabula illa inepta, v. 49 — v. 56, qua cur Demosthenes discipulus Isocratis non sit factus exponitur. Profecto certis argumentis tales ineptiae impugnari non possunt; at ut eas veras existimemus nemo qui aeque iudicat postularit. Quas fabulas ad infringendas unum restat argumentum, quod scriptores antiquiores eas prorsus neglegunt, epigoni autem elato sermone pronuntiant.

Denique restat index discipulorum Isocratis[2]) v. 41 — v. 49. Qui quidem parvum tantum Isocrateorum numerum exhibet. Statuendum vero est, eum non niti auctoritate Hermippi. Qui cum et Isaeum (Dion. 588, 5) et Hyperidem (Athen. VIII, 342) inter Isocrateos rettulerit, in indice Pseudoplutarchi nominibus eorum quasi ὀβελός additus est (ὥς τινές φασι). Ceterum num omnes qui dicuntur revera fuerint Isocratei diiudicari non potest; tantum vero constat inter eos etiam a criticis antiquioribus multos viros claros falso relatos esse. Quod quidem ad indicem Pseudoplutarchi attinet, Ephorus, Theopompus, Theodectes a Dionysio p. 616, 12, Lacritus a Pseudodemosthene XXXIV, 15 inter Isocrateos collocantur; Leodamas ab Aeschine III, 138 orator celeberrimus appellatur. Itaque index Pseudoplutarchi nullum affert nomen, in quo offendamus.

---

[1]) Haupt, de Isocratis epistulis I VI VIII. Lipsiae 1873.

[2]) nomen Lycurgi v. 48 excidisse Westermann vidit. Quod si addimus iterum numerus novem discipulorum nobis occurrit.

Haec sunt, quae de fide alterius auctoris quem praeter Dionysium a Pseudoplutarcho adhibitum esse cognovimus statuenda sunt. Quam quidem multo minorem esse quam Dionysii ex eis quae exposui efficitur.

Iam aggredior ad primam vitae partem qua de genere oratoris et disciplina qua usus esse narratur agitur examinandam. In qua quin ea quae cum Dionysianis congruant ex libro critici Halicarnassensis a scriptore hausta sint, nemo iam dubitabit. At etiam in hac vitae particula additamenta alio ex fonte petita extant, quae num auctori illi, cuius vestigia in parte posteriore investigavi, tribuenda sint, disceptari non potest, quamvis tale quid conicere non sit absonum. Quam ob rem quid novi additamentis illis contineatur perscrutari satis habeo.

v. 3 Pseudoplutarchus de opibus patris plura quam Dionysius refert; nituntur autem verba auctoritate oratoris ipsius, qui in or. XV, § 161 haec scribit: ʻτῶν ὑπαρχόντων ἡμῖν ἀφ᾽ ὧν ὁ πατὴρ ἅμα τῇ τε πόλει χρήσιμον ἑαυτὸν παρεῖχεν ἡμᾶς θ᾽ οὕτως ἐπιμελῶς ἐπαίδευσεν.ʼ

v. 5 addita sunt ʻὅθεν εἰς τοὺς αὐλοὺς κεκωμῴδηται ὑπ᾽ Ἀριστοφάνους καὶ Στράττιδος.ʼ Strattidem oratorem exagitasse Hermippo auctore Athenaeus XIII p. 592 C narrat. Ex versibus autem comici intellegimus, oratorem potius quod meretrici indulgeret quam quod patrem qui tibias venditaret haberet illusum esse; accuratius igitur scriptor vitae Isocrateae anonymus (West. **Βιογρ.** p. 256 v. 77) rem ita exponit: ʻσκώπτουσι δ᾽ αὐτὸν οἱ κωμικοὶ ἐπὶ τῇ Λαγίσκῃ ὧν εἷς ἔστι καὶ Στράττις.ʼ (cf. p. 255, v. 44.) Quo ex loco concludere possumus, alterum, qui a Pseudoplutarcho nominatur, comicum unum fuisse ex eis, qui oratorem quod meretrici indulgeret perstrinxisse ab anonymo perhibentur. Aristophanem fuisse libris Pseudoplutarchi exhibitum est. At vix crediderim anonymum nomen Aristophanis si in fonte legisset praeteriturum fuisse. Sin vero respexerimus Isocratem eo tempore quo Aristophanes comoedias suas doceret nondum pervenisse ad tantam famam, ut aculeum eius posset excitare, amasse autem iam aetate provectiorem Lagiscam, hunc amorem ab Aristophane illusum esse negabimus, cum Strattidem qui illi superstes esset libidinem oratoris perstrinxisse facile concedamus. Quibus de causis Aristophontis comici nomen

in locum Aristophanis substituendum esse proposuerim; quem quidem in Platone [1]) suo Isocratem exagitasse veri dissimile non est. Aristophanis autem nomen utrum errore Pseudoplutarchi an librariorum hunc in locum irrepserit in medio linquam.

In versibus qui antecedunt extant haec verba parenthesi inclusa: 'ἦσαν γὰρ αὐτῷ (sc. *Θεοδώρῳ*) *καὶ ἄλλοι Τελέσιππος καὶ Διόμνηστος*, ἦν δὲ καὶ θυγάτριον.' Contra Suidas haec refert: 'ἀδελφοὶ δ' αὐτῷ (sc. *Ἰσοκράτει*) *ἐγένοντο Τίσιππος καὶ Θεόμνηστος καὶ Θεόδωρος*.' Nomina fratrum maiorum a Pseudoplutarcho accuratius videntur servata esse; tertii autem fratris nomen cuius v. 92 mentio fit hoc loco omissum est; in eius vero locum filiola substituta est, cuius memoria quomodo ad posteros pervenerit miramur, praesertim cum nomine θυγατρίου significetur eam praematura morte extinctam esse. Sin vero considerarimus, in eo fonte, ex quo nomina comicorum fluxerint, de Lagisca et filiola ex ea genita actum fuisse (cf. vit. anon. v. 77 — v. 83), hanc Isocratis filiolam errore Pseudoplutarchi Theodori patris factam esse suspicabimur. [2])

Ea quae de anno natali Isocratis v. 6 — v. 9 exhibentur corrupta sunt tradita. Cum vero cod. A verba 'τὴν πς' ὀλυμπιάδα *Λυσιμάχου Μυῤῥινουσίου δύο καὶ εἴκοσιν πρεσβύτερος δὲ Πλάτωνος*' in margine exhibeat, licet concludere, locum in archetypo fuisse obscuratum et a posterioribus suppletum esse. Hinc de toto loco certum iudicium non potest dari; minime vero ex eo, quod Lysimachus archon appellatur Myrrhinusius, verba ex fonte Dionysio antiquiore fluxisse coniciendum est; de ipso enim nomine '*Μυῤῥινουσίου*' prorsus in dubio versamur. [3]) Quod vero ad verba 'πρεσβύτερος δὲ

---

[1]) Meineke, fr. com. III, p. 361. Ceterum se studiis comicorum prorsus non favisse orator ipse nos docet (II, 44).

[2]) Si quis existimat id audacius conclusum esse, velim respiciat Photium p. 488 A 8 ea, quae Pseudoplutarchus v. 139 — v. 141 de Aphareo exhibuit, simili errore ita reddidisse ut Aphareum filium Lagiscae diceret; hic enim error eo explicatur, quod Pseudoplutarchus paulo supra v. 138 de Lagisca egit.

[3]) Archontes interdum pagi nomine addito descriptos esse fragmenta Philochori (Dion. Hal. p. 741, 5. p. 742, 4) docent; at archontes ibi allati indice archontum bis enumerantur (Lysimachides ol. 83, 4. 110, 2. Theophrastus ol. 110, 1. 116, 4), contra Lysimachus semel (ol. 86, 1). Vaterus (Jahn's Archiv IX, 1843 p. 193) suspicatur, *verba* 'νεώτερος μὲν

Πλάτωνος ζ΄ attinet, aetatem Isocratis cum Platonis a veteribus collatam esse, ex his Diogenis Laertii verbis elucet (III, 3): '(*Πλάτων*) *ἔστιν οὖν Ἰσοκράτους νεώτερος ἔτεσιν ἕξ. ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ Λυσιμάχου, Πλάτων δὲ ἐπὶ Ἀμεινίου γέγονεν.*'

Cum Dioysius p. 535, 4 Therameni locum inter praeceptores Isocratis dubitanter concesserit, certior sibi videtur Pseudoplutarchus (v. 11), quamquam critici habebant, cur de illo praeceptore dubitarent. Addit deinde v. 12 — v. 19 fabulam qua Isocrates Theramenem ad mortem ductum liberare voluisse perhibetur. Cum autem Diodorus XIV, 5 idem de Socrate rettulerit, ut duo illi viri paene *ὁμώνυμοι* saepius alter pro altero a veteribus falso tradebantur, certe nomen Isocratis illa ex fabula eximendum esse summo iure recentiores statuerunt.[1])

Denique restat, ut ea quae a Pseudoplutarcho v. 56 — v. 65 de exitu Isocratis narrantur examinemus. *De quo quae fama vulgari tradita sint ea a propinquis Isocratis ficta esse* Blassius contendit.[2]) Quidquid vero de hac controversia iudicamus, et Aphareum filium Isocratis et Demetrium Phalereum de morte oratoris spontanea rettulisse certum est (cf vit. Isocr. anonym. v. 145 sq.). Cuius Dionysius mentionem facit his verbis (p. 537, 2): '*ἐτελεύτα ὀλίγαις ἡμέραις ὕστερον τῆς ἐν Χαιρωνείᾳ μάχης ἅμα τοῖς ἀγαθοῖς τῆς πόλεως συγκαταλῦσαι τὸν ἑαυτοῦ βίον*' Memoriam igitur, qualis ex antiquo tempore de morte oratoris valuit, simpliciter paene caute refert. Contra Pseudoplutarchus Isocratem cladem in palaestra Hippocratis audientem et tres versus recitantem facit (item anonym. v. 146); at quod de his versibus traditur certe id fictum est a rhetoribus haec verba Isocratis (XII, 80) respicientibus: '*ἔργῳ δ' ὑπὲρ τοῦ μὴ τὴν Ἑλλάδα πάσχειν — οἷα πρότερον αὐτῇ συνέπεσε περὶ τὴν Πέλοπος μὲν ἁπάσης Πελο-*

'*Λυσίου*', *quae excidisse statuant, in nomine* '*Μυῤῥινουσίου*' *latere;* ipse cum duo codices pro '*Λυσιμάχου*' exhiborent '*Λυσίου*', *legendum esse* arbitrabar '*Λυσίου τοῦ Συρακουσίου.*' Ceterum non assentior Schaefero (Zts. f. A., 1848, p. 255) contendenti, *in verbis Pseudoplutarchi deesse* '*πέμπτῳ πρότερον ἔτει τοῦ Π. πολέμου.*' Nam ne in vita Lysiana quidem scriptor Dionysianum illud (p. 453, 2) '*δωδεκάτῳ πρότερον ἔτει τοῦ Π. πολέμου*' accepit.

[1]) cf. Scheibe, olig. Umwälzung, p. 96.

[2]) Rhein. Mus. N. Folge XX, pp. 102 sqq. Memoriam vulgarem secutus est A. Schaefer, l. l. III, 5 not. 3.

πουνήσου κατάληψιν, Δαναοῦ δὲ τῆς πόλεως τῶν Ἀργείων, Κάδμου δὲ Θηβῶν.' Itaque si quidem de morte Isocratis spontanea memoriae veterum fidem habemus, non plus quam quod a Dionysio indicatur pro certo habendum est; cetera enim etiam inter antiquissimos auctores dubia fuisse ex eo apparet, quod ei ipsi in numero dierum per quos cibo orator se abstinuisset dissentiebant cf. vit. anon. vss. 145 sq.

Iam si ea quae de vita Isocratea a Pseudoplutarcho conscripta disputavi complector, etiam huius vitae auctorem primarium statuo Dionysium fuisse; at Pseudoplutarchus ea quae ab illo relata accepit additamentis adauxit, quae sive ex uno sive ex compluribus fontibus hausta multo minore Dionysianis fide digna esse spero me probasse. Hinc non aliter quam in ceteris quas tractavi vitis a Pseudoplutarcho conscriptis in vita Isocratea examinanda id potissimum tenendum est scriptorem a Dionysio auctore suo primario recedentem paene omni fide orbum esse.

V.

Vitae Demosthenis, Hyperidis, Aeschinis.

(Westermann, *Βιόγραφοι*, pp. 281 sqq., pp. 312 sqq., pp. 261 sqq.)

Iudiciis quae Dionysium de Demosthene, Hyperide, Aeschine altera operis 'περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων' inscripti parte conscripsisse constat, vitarum oratorum descriptiones praemissas fuisse veri simile est. Quibus in vitis utrum longior fuerit criticus an brevem tantum earum descriptionem composuerit quaerentibus haec nobis occurrit deliberatio. Ex eis quas tractavi vitis cognovimus, Dionysium solitum esse ea tantum exponere quae legentibus minus cognita essent neque ab oratoribus ipsis dilucide illustrata ex eorum orationibus facile possent percipi, imprimis vero quae de praeceptoribus studiisque oratorum relata accepisset referre. Cum vero vitae Demosthenis, Hyperidis, Aeschinis et ex scientia rerum aetate eorum gestarum et ex ipsorum orationibus pervulgatae fuerint, eas a Dionysio paucis tantum lineamentis adumbratas esse concludere licet. Itaque Pseudoplutarchum in vitis horum oratorum enarrandis, quippe cui libri Dionysiani non magnae essent utilitati, alii autem fontes largiorem materiam suppeditarent, Dionysium

vel plane neglexisse vel in paucis tantum secutum esse si invenerimus non mirabimur.

Brevissime autem de vitis Demosthenis, Hyperidis, Aeschinis a Pseudoplutarcho conscriptis quid iudicem exponam.

1) Vitae Demostheneae ne priorem quidem partem quae mihi tractanda est (v. 1 — v. 175) uno rerum tenore compositam esse facile intellectu est. Aptus vero sententiarum nexus restituatur, si has particulas inter se coniunxerimus: v. 1 — v. 8. v. 20 — v. 26. v. 30 — v. 52. v. 96 — v. 175. In quibus si vestigia vitae a Dionysio conscriptae quaerimus, omni iudicio debemus abstinere de extrema particula (v. 96 — v. 175); quotam enim partem earum rerum Dionysius tradiderit, diiudicare non possumus; quin etiam absonum non est, illum verbis eorum quae v. 43 — v. 52 extant similibus vitam oratoris conclusisse vel pauca tantum de eius exitu addidisse. In prioribus autem particulis ea quae v. 30 — v. 43 exhibentur auctorite Dionysii niti negarim, quamvis eum impedimenta ab oratore superata fabulis quae perhibitae essent neglectis summatim tetigisse concedam. Restant igitur ea quae v. 1 — v. 8. v. 20 — v. 26. v. 43 — v. 52 exponuntur.

Atque primum quidem particulam v. 1 — v. 8 cum particula v. 20 — v. 26 cohaerere facile potest demonstrari. Opposita enim esse respicias inter se verba v. 3 ʽτὸν μὲν τῆς ὀρφανίας χρόνον etc.ʼ et verba v. 20 ʽτελειωθεὶς δέ etc.ʼ Qui quidem membrorum nexus particula v. 8 — v. 20 interiecta interrumpitur. Quo accedit, quod v. 4 Isocrati inter praeceptores Demosthenis incertus tantum locus conceditur, v. 7 Plato inter eos, quos orator non audierit sed aemulatus sit, refertur, in interiecta autem particula v. 15 et Isocrates et Plato inter praeceptores oratoris sine ulla dubitatione collocantur, de Isaei vero disciplina ea quae Dionysii auctoritate vix posse niti p. 16 demonstravi exhibentur. At ea quae v. 1 — v. 8 traduntur maxima ex parte Dionysiana esse veri dissimile non est; item Dionysium actionis ab oratore tutoribus intentae mentionem fecisse statuere licet, quamvis Pseudoplutarchum in hac narranda non hunc solum sed etiam alium fontem peiorem adhibuisse ex eis quae v. 23 — v. 25 exhibentur efficiatur. Denique ea quae v. 43 — v. 52 extat sententia ita comparata est, ut eam a Dionysio abiudicemus non sit necesse; bene enim paucis verbis merita oratoris complectitur.

Restat unum quod consideremus. Pseudoplutarchus enim in vitae initio annum oratoris natalem non indicat, loco demum posteriore (v. 82) antiquam de eo memoriam [1]) refert. Hinc sequitur scriptorem in eo fonte, quem in prima vitae parte adhiberet, nil accepisse relatum de anno quo Demosthenes natus esset. Neque veri dissimile est, Dionysium in commentatione sua annum oratoris natalem praeteriisse. Quamquam enim in epistulae I ad Ammaeum capite IV memoriae vulgatae auctoritate nisus tempora Demosthenis descripsit, in vita Demosthenea eum non aliter quam in Lysiana cum de fide illius memoriae dubitare inciperet, annum illum oratoris natalem maluisse praetermittere cur non statuamus?

Itaque ex eis quae exposui efficitur Dionysium auctorem Pseudoplutarchi in vita Demosthenea enarranda fuisse non posse negari.

2) In vita Hyperidis res ita confuse atque permixte relatae sunt, ut earum in ordine scriptorem secutum esse exemplum Dionysii nequaquam possit statui. Nam v. 5 — v. 10 res post mortem Philippi gestae [2]), v. 10 — v. 17 res ante mortem Philippi gestae narrantur, v. 17 — v. 21 de lite Harpalica agitur, reditur vero v. 21 ad ea quae post pugnam apud Chaeroneam commissam facta sunt; denique vss. 30 sqq. de exitu oratoris refertur. Cum vero haec omnia quae narrantur non sint talia qualia Dionysius exponere solet, id tantum restat, quod de praeceptoribus oratoris breviter traditum est. At ne hunc quidem locum ex libro Dionysiano fluxisse certis argumentis probari potest.

3) Quod ad vitam Aeschineam attinet, dignum scitu est in ea auctores a scriptore ipso saepius laudari. Ita in parte eius priore v. 6 Demosthenes, v. 12 Caecilius laudantur. Orationes vero Demosthenis et Aeschinis (qui quidem v. 47 laudatur) scriptori fontem primarium fuisse veri simillimum est. Verba enim oratorum fere verbotenus transscripta extant

v. 1 — v. 2 *Ἀτρομήτου .... δῆμον* cf. Aesch. II, 77.

v. 7—v. 8 *τριταγωνιστῶν ... διετέλει* conflata sunt ex eis quae Demosthenes XVIII, §§ 261 sq. et XIX, § 246 exposuit.

---

[1]) cf. Westermann, vit. Demosth., quae praemissa est edit. Dem. Tauchnitz 1854, p. VI; A. Schaefer. l. l. III, 2, p. 51.

[2]) v. 8 sqq. Scriptorem Leosthenem, non Charetem voluisse dicere probabile est. A. Schaefer, l. l. III, 280, n. 1.

v. 9 *ἔτι παῖς.....πατρί* ex verbis Demosthenis (XVIII, 258) male intellectis fluxerunt.

v. 14 — v. 20 pessime sunt conglutinata ex duobus locis Demosthenis (XVIII, §§ 142 sq.) et Aeschinis (III, § 107. § 113.

Sola posterorum auctoritate ea nituntur quae v. 10 — v. 12 de praeceptoribus oratoris, v. 24 — v. 39 de exitu Aeschinis exponuntur; haec quidem cum fabulis commixta sunt, illa ex scriptis Caecilianis (v. 12) fluxerunt. Unde sequitur, in vita Aeschinea Dionysium non fuisse auctorem Pseudoplutarchi.

De eis quae restant vitarum decem oratorum partibus disputare desisto. Longum enim est in eis enarrandis Pseudoplutarchum libros Dionysianos non adhibuisse demonstrare. Quod quidem futurum esse ut tali ex disputatione efficeretur persuasum mihi est.[1])

---

[1]) Eis locis quibus Dionysius auctor laudatur (vit. Lys. v. 40, vit. Isocr. v. 107) fragmenta Caecilii rhetoris continentur; id quod vidit Burckhardt, Caecilii rhetoris fragmenta. Basel 1863. p. 51. cf. Sauppe. Gött. gel. Anz., 1863, pp. 1662 sqq.

Jan. 8, 1875

Vita.

Natus sum Fridericus Conradus Seeliger Nossenae prid. Non. Jul. anni h. s. LII patre Friderico Augusto, qui nunc in schola evangelica Budissina munere rectoris et praeceptoris fungitur, matre Maria e gente Hertelia. Fidei addictus sum evangelicae. Anno h. s. LXIII in gymnasium Budissinum, quod tunc Friderico Palmio rectore maxima gloria floruit, receptus sum. Anno LXXI testimonio maturitatis accepto in academiam Lipsiensem me contuli ubi studiis philologicis me dederem. Scholas adii virorum illustrissimorum Ahrensii, Brockhausii, G. Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Ebersii, Langii, Lipsii, Overbeckii, Ritschelii, Roscheri, Struempelii, Voigtii, Zarnckii. Praeterea frequentavi exercitationes philologicas Langii, Lipsii, Ritschelii, archaeologicas Overbeckii; per tria spatia semestria seminarii philol. regii sodalis ordinarius fui, per unum seminarii paedag. regii.

Omnibus autem magistris meis data hac opportunitate propter summa eorum de me merita gratias, quas semper eis me habiturum esse profiteor, quin publice agam facere non possum.